


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 M I
59


ANASTASIS AVGVSTINIANA
IN QVA
SCRIPTORES
Ordinis Eremitarum
S. AVGVSTINI
qui abhinc sæculis aliquot vixerunt, vnà cum neotericis, in seriem digesti sunt.

Operâ ac studio

R^di PATRIS F. THOMAE GRATIANI eiusdem Ord. in Prouincia Coloniensi Prioris Prouincialis.








ANTVERPIÆ
Typis HIERONYMI VERDVSSI.
CIↃ. IↃC. XIII.

Nobiliß. atque Ampliß. viro

DOMINO

HENRICO VAN ETTEN

EQVITI TORQVATO DYNASTÆ BANDOVRANO, CONSILIARIO, ET Commiſſario Financiarum Militaris annonæ in C. M. & SS. BelgI Principum exercitu Archipræfecto



S. P. D.




OBLECTAVIT me non rarò, Nobiliſſime atque Ampliſſ. Domine, eorum pia diligenſque induſtria, qui virorum illuſtrium pro Repub. Chriſtianâ exantlatos labores, eoſque potiſſimum chartis notatos, ab obliuionis (vt ita dicam), carie, ſuccedaneo ſuo labore vindicarunt:

Inſtructus enim redditur animus in futuris, quando præteritorum commonetur exemplis. Caßiod. lib. 59. ep. 4.

Cterum indolui, nullum hactenus noſtrûm id animi inceſſiſſe, vt pari pietate, in lumina & columina ſui Ordinis adfectus conſimili ſolertiâ ad colligendum ſe accingeret, quod

 ſparſim



ſparſim̃ pro ſuo quiſque talento, diuino honori ampliando, Reipub. Chriſtianæ iuuandæ, animarum ſaluti procurandæ, euulgaſſet. Cupido igitur me inuaſit firma atque conſtans hanc Spartam pro otij mei penuriâ ſuſcipiendi, pro ingenij ſterilitate exornandi. Suſcepi; an & exornauerim, penes æquum Lectorem iudicium eſto. Quamuis tamen non tam exornare viros doctrinæ virtutumque ſuarum iubare nimiſquantum illuſtres, cōſilium mihi fuerit (neque enim veteris Poëtæ verſu

creſcit Phœbus face, Mundus arenâ,
Sæcula momento, nimbo mare, linea puncto)

quàm nudâ ſimplicique recenſione in apertam lucem trahere ſcripta eorum, quibus & ſe non vt ignaua terræ pondera in Cōuentuum ſuorum ſeptis ſqualuiſſe, ſed negotioſo admodum otio ſuis ſe illuxiſſe, poſteris præluxiſſe teſtati ſunt. Abſolutus iam erat hic fœtus noſter; at ſuæ teneritudinis ſibi conſcius lucem verebatur, niſi Mecænatem aut Hyperaſpiſten potius ſibi proſpexiſſet, cuius ſcuto à rigidioris iudicij arbitris liberum ſe fore ſperaret. Occurriſti fortunâ tu ſtatim bonâ, A. D. & ſinum eminus pandere viſus es partui tam imbecilli atque e-

lum-

lumbi: ſed eo forſitan nomine grato, quod eius Parens multis ab hinc annis (modeſtè hoc dixero) tibi gratus; Cuius rei iudicium hactenus fecêre tot in me vnum coäceruata beneficia. Nullatenus enim, datâ iam occaſione tam largiter capillatâ, ſilentio tumulandum mihi eſt, ingens illud euergetema, quo me, dum Anno humanæ ſalutis 1595. templo Conuentus noſtri Weſalienſis per Illuſtr. Nuntium Apoſtolicum Coriolanum Auſſurenſem Epiſc. priſtinæ ſanctitudini reſecrato diuinoque ibidem officio, reuocatis eo loci religioſis, reſtituto, viſitatione ordinariâ perfectâ, Coloniam redux peterem, ſed à militibus Batauis interceptus, Breuordiam abductus, in vincula coniectus eſſem, maximo ære liberaſti. Illud verò cuius beneficentiæ eſt, quod non importunæ noſtrorum preces, hanc à te liberalitatem, velut inuito extorſerint, ſed quod vltrò tu met magno certoque animo aurum deprompſeris, ratus: *maximo vendere beneficium, qui preces accipit.* Euicit tandem & hunc atrum doloris nimbum Solis illud tui ardentiſſimum iubar ad mentem reuocatum; quo quondam in triſtiſſimâ illâ ſinus Belgici tempeſtate, nouâ furiarum trigâ, Annona, fame,

Mamert. in Gratiarum act. pro Cõſ.

Hæreſi, effractis quaſi Erebi, vbi genitæ, repagulis, Belgium miſeriter depopulantibus, Ordinis noſtri Religioſis

Omnibus exhauſtis iam caſibus, omnium egenis,

& aſſiduitate grauis annonæ in maciem planè decoctis, verè pater & paſtor, re, pane, ſiligine ſubueniſti, aluiſti, morte exemiſti. Locuples prę ceteris benefici huius animi teſtimonium Conuentus noſter Louanienſis perpetuæ memoriæ archiuo conſignatum habet. Vbi dum totius Prouinciæ tirones (ſpem gregis) animi ſtudijs formandi gratiâ ſelectos, ſed fatali malo, cum fame certantes fouiſti, totam in vno Conuentu prouinciam conſeruaſti, imo ex fauillis propemodum, & cineribus excitaſti. Vt planiſſimè fatendum ſit, niſi tu in caliginosâ iſtius ſæculi nocte, quaſi quoddam ſalutare Ordini Auguſtiniano ſidus exortus fuiſſes, rem profectò noſtram, quę pluſquam vergebat, ad triarios venturam fuiſſe. Quotidiana adhæc beneficia, quæ ab eo vſque tempore quo in Principem hanc Vrbem Bruxellenſem Coloniam deduximus, profundere non ceſſas, præterire me potius, & intra arcanæ recordationis conſcientiam coërcere, ſcio modeſtiam tuam uelle, quàm ea iactabundè

euulgare

euulgare. Hoc tamen vnum dicere & fateri gratitudo me & humanitas iubent: Amplitudini me tuæ, atque adeò Augustinianos omnes multis esse nominibus deuinctos; quippe quos (veteri quidem, sed vero verbo) librâ & ære redemisti.

Absit autem A. D. & istud Deus Optimus Maximus omen auertat, vt tu à quopiam nostrûm vicem exspectes beneficiorum tuorum. Vt namque in cælo stellæ lucent tantummodo vt luceant, nihil inde honoris aut præmij desiderantes; sic tu naturâ inclinatuque munificus es, sine alio adspectu, speculáue mercedis, præterquam à Brabeutâ illo cælesti, qui mensuram bonam, & confertam, & coagitatã, & super effluentem dabit in sinum tuum. *Luc. 6.* Verumtamen (quod solum vel accipere ampla fortuna tua potest, vel à nobis opibus tuis tribui) immortalitatem munerum tuorũ colemus obsequijs sempiternis. Cuius quidem promissi obnoxius addictusque testis ac velut obses sit hic libellus, quem A. T. eo animo oblatum venio, quo haustam vtrâque volâ è profluente aquam Persarum regi inopiosus Sineta propinabat.

Librum si metiare, paruus est; si & animum

 mum

mum, reperies maximum. Itaque in re maioris esse ponderis libellum hunc, quàm in specie præseferat, beneuolus censor arbitrare. Vale.

Februarij 9. Anno à partu virgineo 1613.

Amplitudini T. addictißimus
Fr. Thomas Gratianus
Erem. S. Augustini in
Belgio
Prouincialis.

AD

AD PIOS, ET STVDIOSOS
ORD. EREMIT. S. AVGVSTINI
Religiosos.

HVnc perdiâ, hunc pernocte diligentiâ
Versate Tirones libellum candidi,
Quem singulari Gratianus gratiâ
(Cui pro labore gratias grandes date)
Pronuper instar apis coëgit Atticæ.
Hîc ora vestris docta, vultus vultibus
Viuos, imaginesque vestris iungite.
Hîc indolem patrum nepotes discite,
Solertiam hinc præsentium dignoscite.
Hîc ara prostat, cui litarunt, strenuæ.
Hîc arduæ virtutis intuemini
Sibi quisque gnauus quam parauit adoream,
Hîc eruditionis intuemini
Sibi quisque gnauus quam parauit lauream.
Nam si quis acri perspicax indagine
Cunis ab ipsis Grammatum conscenderit
Graduque quodam disciplinas obierit
Seueriores, ad cacumen maximæ
Sacerrimaque Theologûm scientiæ,
Videbit is propè nil relictum, gnaritas
Et gnauitas quod nostra non libauerit.
Famæ hinc decoris eminent iugalibus,
Palmâque laureâque dites plurimi

Virtute passas cælitum intrarunt fores
Magna quibus vrna mundus est, cælum domus,
Ast vniuersi altera superstes portio
Virtute, & eruditionis agemate
Æternitatis inclytam sternit viam,
Poloque dignum sudat in terris opus.
Ita vos spei præclarioris surculi
Nouella veræ sanctitatis semina,
Nigrens amictu turba, mente candidi,
Quos nobilis scientiarum vis mouet,
Diusque fomes pectore insertus viget,
Extraque mundi tesqua quos Ordo vocat,
Ite ite patrum tanta per vestigia,
Hæc ipsa virtus vos in exemplum trahat.

Fr. Melchior Daelhemius
Eremit. August.

Idem

Nutrijt Eupheme, populo credente, sorores
Aonias iugi sedula lacte nouem:
Nutrijt & Thomas, populo plaudente, Camillos
Aonidum, & doctæ posteritatis auos.

R. P. THOMÆ GRATIANO
illuſtrium Ordinis noſtri ſcriptorum collectori.

Tot flammilucis lauream gemmis, tui
Qui Patris effigias, tuæ quantam aurea
Hæc tanta gemmarum aggeret gemmam ſeges!
Dum gemmeatus inter has cælo clues!

F. Seuerinus Schulæus
Eremit. Auguſt.

Ad eundem.

Dum tua cæliuagos diſtinguit charta pyropos,
Quos orbis vna lampas infixit polo:
Dextra palimpſeſto tua te cur ſubtrahit vnum?
Lux non erit, lucere qui dat ignibus?
Lux eris: ecce tuis iam diſpare iungeris igni,
In omnibus nam radius excurrit tuus.

F. Cornelius Cortius
Eremit. Auguſt.

IN ANASTASIN ciuſdem.

Dicitur Iapetus luteas finxiſſe figuras
Phœbeâ potuit quas animare face:
Scripta Patrum ſæcis iacuere ſepulta latebris,
Arte Prometheâ nunc animata vigent.

F. Aug. Nauxus.

Eis

Εἰς τὴν τοῦ αὐτοῦ Ἀνάςασιν.

ΣΕ ΓΡΑΤΙΑΝΕ λέξω
Δαδοῦχον ὄντα βίβλοις,
ΣΕ ΓΡΑΤΙΑΝ' ἀείσω
Τὰ τοῖς πάλαι γραφέντα
Ἀγρυπνίαισι δειναῖς
Εἰς σύλλαβον τιθέντα,
Καὶ εἰς τὸ φῶς διδέντα.
Ἥνπερ βιῶσιν ἤδη
Τὴν συλλεγέντες οὗτοι
Ἐταιρίης ἄριςοι,
Περίκλυτοι γραφήων,
Αἱ εἰκόνες θανόντων,
Αἱ εἰκόνες τε ζώντων.
Γηθῶσιν ὥςε δέλτῳ
Ταύτῃ τὴν γραφείσῃ
Λαμπροὶ Πατρες τοσοῦτοι
Βίου πάλιν τυχόντες.
Σὺ γὰρ μακρὰν λαθοῦσι,
Σχεδόν τι μὴ ἐοῦσιν,
Ἐκ ληθέων τε χώρας,
Ἐκ σιλφέων τ' ὀδόντων
Ἐτρώδεας παπύρους
Ἕλκων πόνοισι σεῖο,
Αὖθις βιοῦ ἔδωκας.
Κἀγὼ μὲν οὖν ἐκείνοις

Συγχ.

Συγχαίρω οἷα καινὴν
ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ λαβοῦσι·
Σάλπιγγα δὲ γραφήων
ΣΕ ΓΡΑΤΙΑΝΕ λέξω.

Pangebat F. Nicaſius Baxius
Auguſtin.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Infantis Hispaniarum, Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgij Principum, Priuilegio cautum est: nequis* Anastasin Augustinianam R.P. Fr. Thomæ Gratiani, eiusdem Ord. in Prouinciâ Coloniensi Prioris Prouincialis, Ex Ordine Fratrum Eremitarum D. Augustini, *præter voluntatem Hieronymi Verdussî, Typographi Antuerpiensis, intra sexennium imprimat, aut alibi impressam in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ* XX. *Kal. Febr.* M. DC. XIII.

Signat.

I. *Buschere.*

LECTORI BENEVOLO S.

PLures equidem ſcripſiſſe, non eſt vt dubitem, maximè cùm abhinc ſæculis aliquot manifeſtum ſit doctiſſimis abundaſſe viris Auguſtinianam familiam: atque etiamnum ſcribere complures inaudio, qui omnes, vbi eorum ad me cognitio peruenerit, vt eis ſuus honos conſtet, efficiam. Interim etiam, atque etiam rogo meos Sodales, & quotquot Auguſtinianos ſcriptores penes ſe habent, vt ne grauentur certiorem me reddere eorum quæ iſti ſcripſere, quò ſaltem altera editione, ſe obliuionis campo, atque ingratis tenebris queant expedire. Vale, ac fruere.

SCRIPTO-

ANASTASIS AVGVSTINIANA
in qua censentur
SCRIPTORES
Ordinis Eremitarum
S. AVGVSTINI
qui abhinc sæculis aliquot
vixerunt.

SCriptorum ordinem felici ducat auspicio Ecclesiæ Catholicæ lumen & Archidoctor

AVRELIVS AVGVSTINVS AFER.

IS nascitur Tagastæ, anno partus virginei CCC.LV.

Baptizatur ætatis anno XXXIII.

Religionem Eremitarum instituit anno Domini CCC.XC.

Sacerdotio initiatur à Valerio Episcopo, cùm natus esset annos XXXVI.

Episcopatus honore insignitur ætatis anno XLI.

Moritur anno Domini CCCC. XXX. suæ verò ætatis LXXVI.

Libros scripsit amplius mille & triginta, qui omnes, quoniam in clarissima luce sunt, nolui γλαῦκας εἰς ἀθήνας.

Hæretici me fulmen habent; Ecclesia flumen:
Hos peto, quò pereant; hanc rigo, ne pereat.



EGIDIVS COLVMNIVS, qui & Romanus appellatur, nobili genere Columnensium oriundus, Augustinianæ familiæ Generalis creatur Anno 1292. Qui ob doctrinæ constantiam, quâ sui per omnia fuit similis, Fundatissimi cognomen est adeptus. Fuit hic propter singularem vitæ sanctitatem, atque doctrinam in primis carus Philippo Pulcro Gallorum Regi, quo iubente libros de regimine Principum scripsit, & coram quo à Rhemensibus sacris regresso, luculentam orationem habuit. eum Bonifacius Pont. Max. Archiepiscopum Bituricensem, & Aquitaniæ primatem creauit, Card. S. R. E. cœtui postmodum adscriptus est, sed antè obijt quàm euulgaretur. Hunc eundem Hieronymus Seripandus Cardinalis vir doctissimus & ipse Augustinianus, Proram & puppim Theologorum vocauit, cuius doctrinam plerique illustres viri

viri sunt secuti. Nec omittenda singularis eius modestia (quę doctorum hominum laus est vnica) cum enim esset tanto ingenio, tenacisque memoriæ, vnà cum generis claritate demissionem animi sic coniunxit, nihil vt in alienis opinionibus refutandis appareat eo temperatius.

Scripsit in gratiam Bonifacij octaui ob controuersiam renuntiationis Pontificatus Cælestini.

De Renunciatione Papæ lib. 1. incipit, Non ei placebit vecordia sua.

De Regimine Principum lib. 3. ex Regiâ ac sanctissimâ prosapiâ.

Hoc libro moralem omnem Philosophiam est complexus.

Hexameron siue de mundo sex diebus condito lib. 2. Quoniam de operibus sex dierum impendimus librum.

Super Canticum Canticorum vndeuiginti lectiones. Sonet vox tua.

Super epistolam Paulli ad Rom. Lectiones 13. Henoch placuit Deo.

Super epistolam ad Corinth. lib. 2.

In omnes epistolas Paulli eum scripsisse tradit Ioannes Tritemius

In Epist. Canonicas incœpta commentaria citat Ambrosius Coranus.

In Euang. Ioannis lib. 2.

In totum Canonem Bibliorum, & sufficientiam librorum sacræ Scripturæ lib. 2.

In Boëthium de Philosophica consolatione exposit.

De laudibus diuinæ sapientiæ lib. 1. Inter multas & varias occupationes nostras

In illud Canonicæ Ioannis, Omne quod est in mundo &c. lib. 1.

Contra Expositionem Petri Ioannis de Narbona super Apocalyp. iubente Bonifacio Papa: lib. 1. Scripsit item

In ius Canonicum. De summa Trinitate, & fide Catholica Cap. Firmiter &c. Damnamus.

Et super decretalem. Cum Marthæ. *De celebratione Missarum* lib. 2.

De Excellentia summi Pontific. *Contra exemptos* lib. 1.

De gratiarum actione ad Bonif. octau lib. 1.

Defensorium contra impugnantes Diuum Tho. Aquinatem.

Contra hæreticos librũ quẽ Terrens fulmen appellauit.

De Erroribus Philosoph lib. 1.

Quomodo reges & Principes possunt possessiones ac bona regni peculiaria Ecclesijs elargiri. lib. 1. Vertebatur in dubium cum communiter.

De defectu & deuiatione malorum culpæ & peccatorum à verbo lib. 1. Placuit nobis proponere.

De diuinâ influentia in Beatos lib. 1. Dignatus est venerabilis pater.

De Corpore Christi Theoremata 50. Quia inter cetera Ecclesiæ sacramenta.

De Charactere lib. 1. Occasione cuiusdam Clerici minus.

De Prædestinatione, præscientia, Paradiso & Inferno lib. 1. Post distinctionem.

De Prædestinatione librum alium, notat Tritemius. Nobili militi Domino.

De Rationibus seminalibus lib. 1.

De peccato Originali lib. 1. Ego cum sim puluis.

De distinctione articulorum fidei lib. 1. Quæsiuistis de articuli fidei.

Isagogen siue Introductionẽ Christianæ fidei ad Regem Armenia iubente Bonifac. Papa.

De

De Arca Noë lib. 1. Quoniam in decretali.

De gradibus formarum accidentalium lib. 1. Dilecto sibi in Christo.

De Intensionibus in medio lib. 1. Vtrum lux sit realiter in medio.

De differentia Ethicæ, Politicæ, & Rhetoricæ, ad fratrem Oliuerium.

De medio demonstrationis lib. 1. Quęritur quid sit medium in etc.

Quæstiones septem Parisijs disput. de resurrectione mortuorum. Vtrum sit possibilis resurrectio mortuorum.

Quæstiones 13. *De Esse & Essentia, de primo principio.* Vtrum sit dare plura principia simpliciter prima.

Quæstiones de cognitione Angelorum. Vtrum Angelus intelligat seipsum.

Quæstiones de mensura Angelorum. Quęstio est de mensura Angelorum & primo.

Quæstiones de Compositione Angelorum. Vtrum Angeli sint compositi ex.

Quæstiones de motu Angelor. Vtrum Angeli moueant corpora superiora.

Quæstiones de loco Angelorum.

De Subiecto Theologiæ lib. 1. Quærendo & disputando inuestigare intendimus.

De Materia cæli contra Auerroëm lib. 1. Quæstio est vtrum in cælo sit materia.

De Purificatione intellectus possibilis lib. 1. Quia etiam sunt nonnulli.

De gradibus formarum lib. 3. Dixisti Domine Iesu Christi, Dei virtus.

De Esse, & Essentia Theoremata 22. Omne esse vel est purum per se.

Super librum de bona fortuna Comment. Quidam ordinauit.

Super lib. de causis Comment: Sereno animo seriosè compatiens.

De formatione humani corporis in vtero matris lib. 1. Quia ex cognitione, &c.

In lib. Aristotelis de Physiognomia Comment.

In Artem veterem. In libros Priorum Aristotelis Comment. Vt asserit Ambrosius Coranus.

In Topica Aristotelis Comment. In lib. Elenchorum Comment.

In lib. Posteriorum Aristotelis Comment.

In lib. Rhetoricorum Aristotelis Comment. Qualis est vnusquisque

Super octo lib. Physicorum Aristotelis Expositio. Naturalis scientia est.

Super lib. de generat. & corrupt. Aristotelis, Comment.

Super lib. de Anima Comment. In libros Ethicorum Comment.

In parua Naturalia Aristotelis. In lib. Oeconomicorum Comment.

In lib. Politicorum Comment. In lib. 12. Metaphysicorum Comment.

In eosdem lib. metaphysicorum quæstiones.

In primum sententiarum lib. 1. Candor est enim lucis æternæ.

In secundum sententiarum lib. 2. Petente Roberto Siliciæ Rege.

In tertium sententiarum lib. 1. Tit. de Incarnatione verbi.

In quartum sententiarum.

Quodlibeta 6. Vt quæstiones propositæ in nostro.

Sermones solennes ad Clerum.

Sermo-

Sermones alios & Epist.

Compendium Theologicæ veritatis.

Oratio in die coronationis Philippi Regis. E templis & quasi.

Obijt ÆGIDIVS ROMANVS Auinione vndecimo Calendas Ianuarij anno ætatis suæ 69. Cuius corpus Parisios deportatum, ibidem in Ecclesia ordinis sepultum fuit: vbi in circuitu monumenti exstant hæc verba;

HIC IACET AVLA MORVM, VITÆ MVNDITIA, ARCHIPHILOSOPHIÆ ARISTOTELIS PERSPICACISSIMVS COMMENTATOR, CLAVIS ET DOCTOR THEOLOGIÆ, LVX IN LVCEM REDVCENS DVBIA, FR. AEGIDIVS DE ROMA ORD. FR. EREM. S. AVGVSTINI ARCHIEPISCOPVS BITVRICENSIS. QVI OBIIT ANNO DOMINI M.CCC.XVI. DIE XXII. MENSIS DECEMBRIS.

Sabellicus, Tomo secundo Enneadis 7. lib. 9.

ÆGIDIVS ROMANVS, quo post Aurelium Augustinum neque plura quispiam in diuinis scripsit, neque accuratius.

AEgidius magni magnum Ordinis Incrementum
Romanus, columen virtutis nobile, libris
Doctrinâ grauidis, vigilíque labore Parentem
Insequitur, Mitræque pares sortitur honores.

ADAMVS MONTALTVS patriâ Genuensis fuit, humanis litteris perpolitus, ac versificandi laude inprimis celebris. Is Tyrtæum imitatus, animos & martia corda, in feralem Christiani nominis hostem Turcum, Christianis ducibus accendit, & Poëma celeusmaticum Romæ coram XYSTO quarto Pont. Maximo, nec non purpuratorum Patrum collegio, ingenti gratulatione recitauit. Exstat eiusdem in orthographiam Ioannis Aretini disertum procemium, Philippo Arelatensi Archiepiscopo dicatum.

Ducere qua potuit horrentia Martis ad arma
Vox est innumeris fortior illa viris.

ADAMAS FLORENTINVS, vir humanissimus, Græcis litteris & Latinis & Hebraicis eruditus, Geographia, item Mathesi alijsque artibus exornatus, claruit in Conc. Trident. vbi habuit Orationem nomine Oratoris septem pagorum Helueticorum Catholicorum. Is cum Romæ iubente Gregorio XIII. Pont. Max. emendaret Thalmud Hebræorum, eiusque glossę annotationes & interpretationes omnes Obijt die XVII. Ianuarij 1581. in templo S. Augustini sepultus.

Inclyta quàm pulchro gaudet Florentia Flore,
Cuius & in nostro tempore spirat odor!

ADEODATVS patria Senensis diuinarum rerum peritissimus, quas multis annis in publico Senensi Gymnasio magno applausu professus est, edidit *Orationes duas.*

Vnam quam habuit Tridenti in die Cinerum coram Patribus Concilij, Pontificatu Iulij III.

Alteram Titulo de reformandis, instaurandis & conseruan-

dis Cœnobijs in Germania, *quam habuit Viennæ in aula Regia coram Ferdinando Romanorum Rege.*

Dum tonat Augusti tua concio Regis ad aures,
Relligio simul est tollere visa caput.

ÆGIDIVS GRAVATIVS Rocchensis Doctor Theol. *Summam de Exemplis, & rerum Similitudinibus Ioannis à sancto Geminiano Ord: Prædicat.* ab innumeris pæne erroribus castigauit & auxit, ac omnium librorum, capitulorum *Epitomen* adiunxit, ac *Indicem* copiosissimum omnium eorum, quæ in toto opere scitu digna habentur, apposuit.

ÆGIDIVS à PRÆSENTATIONE natione Lusitanus, in celebri Conimbricensium Academia Sacræ Theol. Vesperarius professor edidit *Disputationes de Anima & Corporis Beatitudine* In tres Tomos distributas.

Scripsit etiam *Apologiam, siue defensorium sui Ord.* & quædam alia.

ÆGIDIVS VITERBIENSIS totius Ord. Prior Generalis, Vir præter vitæ sanctimoniam, diuinarum rerum peritissimus, à Leone decimo Pōt. Max. S. E. R. Cardinalis creatus est, Edidit *annotationes in tria priora capita Geneseos. Comment. in quosdam Psalm. ad Leonem* x.

Libellum de Ecclesia Incremento, de quo etiam meminit Pontifex Iulius in diplomate, quod *Bulla Aurea Declaratorium* inscribitur.

Orationem, quam in principio Concilij Lateranēsis habuit, eamque ornatissimam, quam citat Nicolaus Sanderus libr. VII. de *visibili Monarchia Ecclesia*.

Librum Dialogorum. incipit. En ad te Princeps.

Librum Epist.

Odas in AEgidij Iouiani laudes. obijt an. 1532. die XII. Nouembris.

AEgide Virtutis, Doctrinæ, Relligionis
Nec non purpureæ clarus honore togæ
AEgidius, validè Christi dum repulit hostem
Quæ meruit cælo præmia, victor adit.

ALBERTINVS à MANTVA sacrarum litterarum Interpres edidit eruditione refertum

Tractatum de Corpore Christi lib. I.
Item lectiones Scripturarum lib. I.
Claruit anno 1400.

ALBERTVS BOSTETENVS natione Teutonicus, vir insigni eruditione ornatus, & in antiquitatibus versatissimus. Scripsit *vtriusque Pannoniæ* (quam hodie Austriam & Stiriam vocant) *historiam*, eamque Imperatori Cæsari Maximiliano dicauit. claruit Anno 1520.

ALBERTVS PATAVINVS Theol. singularis, Ægidij Romani alumnus, Parisijs vbi libros sacros summâ discipulorum frequentiâ exposuit, annos 46. natus mortem obijt, ibidemque in Ecclesia sancti Augustini sepultus est. Is à iuuentute diuinarum litterarum studiosissimus, insigniterque eruditus, scripsit multa præclara volumina quibus se & præsentibus tunc vtilem, & posteris memorabilem effecit, è quibus ista feruntur:

In Genesin librum I.
In Leuit. lib. I.
In Deuteron. lib. I.
In Epistolas Pauli. libr. XIV.
In Exod. lib. I.
In Numeros lib. I.
In quatuor Euangelistas. lib. IV.
In Magistrũ sentent. li. IV.

Ser-

Sermones Dominicales, lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
Sermones ad Clerum lib. 1.
Sermones de tempore. li. 1.
Sermones per quadrag. lib. 1.
& alia quædam.

A Senatu Patauino ob doctrinæ præstantiã marmoreâ statuâ, quæ ad hunc vsque diem exstat, donatus fuit, hoc elogio aureis literis insculpto:

SVPRA

ALBERTO EREMITARVM PATRI SINGVLARISSIMO, VITÆ CONTINENTISSIMÆ, PATRIA PATAVINO STVDIORVM COLVMNAE, ET REIPVBLICAE CHRISTIANAE SVMMO SPLENDORI.

INFRA.

ALBERTVS LIBERALIVM ARTIVM, AC VRBIS NOSTRAE SPLENDOR, IN ORDINE EREMITARVM REGVLAM PROFESSVS, CONTINENTISSIMAE VITAE FVIT. IS CLARVIT INGENIO SVB CELEBERRIMO ÆGIDIO ROMANO EIVSDEM ORDINIS, SACRIS LITERIS APPRIME IMBVTVS, SVMPTA PARISIIS IN-

FVLA MAGISTRALI TAM CLARVS EVASIT, VT PAVLVM APOSTOLVM, MOYSEN, EVANGELIA, AC LIBRVM SENTENTIARVM EXPOSITIONE SPLENDIDISSIMA RESERAVERIT, IDEMQVE ANTE OMNES SVAE AETATIS VIROS FACVNDISSIMVS PRAEDICATOR IMMORTALI MEMORIAE HIC OTIMO IVRE DATVR. EXCESSIT E VITA ANNO DOMINI CIↃ. CCC. XXXIII.

Virtutes Alberte tuas signante colosso
Laureolam cælo prendis, & aureolam.

ALBERTVS alius PATAVINVS cognomine NOVELLVS, antea Hebræus, deinde Christianus, atque Hebræorum seuerissimus reprehensor, aduersus eosdem de *Meßiæ aduentu* multa scripsit, quæ M.SS. in Patauinâ Bibliothecâ custodiuntur.

Iudæum vixisse, potest prodesse videris
Si non, odissem forsitan ipse minus.

ALBERTVS e SAXONIA Theol. Philosophiâ Peripateticâ, & Mathesi admodum eruditus, reliquit *Comment. super tabulas Alphonsi Regis* ad iudicia Astronomiæ. Incipiunt: Tempus est mensura motus. Exemplar eius manu conscriptum anno Domini 1331 asseruatur Bononiæ in Bibliothecâ sancti Dominici. Scripsit item *quæstiones in lib. Aristotelis de physico auditu, de Gen: & corrup: & de Animâ, quæ exstant* Bononiæ in Bibliotheca nostrâ sancti Iacobi.

Ingenio

Ingenio nimis est tellus angusta capaci,
Astra poloſq; e mihi peruolitare lubet.

ALDEBRANDINVS CAVALCANTES Florentinus Theol. vt posteros ad ſpem adipiſcendæ beatitudinis hortaretur, *Conciones* multas compoſuit, quas *ſermones quadrageſimales* appellat. Conſtat autem aliarum rerum multos tractatus compoſuiſſe (quamuis temporum vitio interierint) cum in fine ſermonum iſtorum dicat hæc verba. *Si vis plus loqui de Epiſtola aut de Euangelio, quære inter ſermones Dominicales*: require etiã de hac materia inter *ſermones Hiſtoriales*.

Compoſuit inſuper *ſermones Feſtiuos*, quorum primus ſic incipit: Venite poſt me faciam vos &c. claruit anno 1385.

Ardet amore Dei: mirum ſi ſermo viciſſim
Ardeat? à viuâ mortua pruna flagrat.

ALEXANDER OLIVA SAXOFERRATENSIS, cum puer eſſet trium annorum, caſu in altum quendam fontem cecidit, inde ad clamorem ſororis eius paruulæ, accurrit quædam pia mulier vicina, puerulúmque, qui iam ferè omnem ſenſum amiſerat extractum è fonte, in caput, vt hauſta aqua per os exiret, ſuſpendit. Eò cum exanimata cucurriſſet mater, dulciſſimumq́ue filiolum exanimem conſpexiſſet, ſe ſupplicem abiecit, beatiſſimæque Virginis MARIÆ nomen implorauit, ſi viuum ſibi paruulum redderet, eundem in perpetuum diuino cultui dicatum, in familiam virorum Religioſorum ſe traditu-ram. Non fuit huiuſce piæ mulieris vana imploratio atque petitio, propterea quòd cum quaſi mortuus aliquot horas puer iacuiſſet, cœpit magna cum admiratione eorum, qui ob caſus acerbitatem conuenerant, aperire oculos, ac matrem inuocare, ſic-

que

que paullatim priſtinam valetudinem recuperáuit. Paulò pòſt non immemor mater tanti beneficij, volens beatæ Virgini facere ſatis , vnà cum marito puerum in familiam & diſciplinam Patrum Eremit. ſancti AVGVSTINI Saxoferrati tradiderunt. In qua quidem familia & diſciplina, ita diligentem & aſſiduam, ita ſtrenuam nauauit operam in omni deinceps genere ſcientiarum, vt in Principibus Theologorum ætatis ſuæ numeraretur. Quare ſimul & Peruſiæ Philoſophiam publicè docuit, & multa cognitu digna conſcripſit. Et ſanè tam morum, ac vitæ approbatione, quàm doctrinæ, & ſcientiarum commendatione claruit. Demum ob pręclaras virtutes, & ſummam vitæ integritatem, vniuerſo Ordini Eremit. Auguſtini præfectus eſt, nec multò poſt à Pio II. Pontif. Max. in Cardinalium collegium cooptatus.

Scripſit orationes elegantes lib. 1.

De Chriſti ortu Sermones centum.

De cœna cum Apoſtolis facta.

De peccato in Spiritum ſanctum. & alia.

Obiit Tibure, & Romam delatus in templo ſancti Auguſtini, iuxta ſacellum, ſancti Nicolai in ſepulcro marmoreo conditus fuit, ſequenti Epitaphio & tetraſticho.

ALEXANDRO OLIVÆ SAXOFERRATENSI THEO. CLARISSIMO EREMIT. SANCTI AVGVSTINI AB INFANTIA SPEI MAXIMÆ ALVMNO. QVI CVM ESSET SVI ORDINIS GENERALIS OB SINGVLAREM DOCTRINAM, ET VITÆ SANCTIMONIAM CARDINALIS A

PIO

PIO II. IGNORANS CREATVS EST. VIXIT ANNIS QVINQVAGINTA QVINQVE. OBIIT ANNO SALVTIS M.CCCC. LXXII.

Occiderat prope tam placidè nascentis oliuæ
Gloria Naiadum semisepulta vado:
Vidit, & occurrit Superûm Regina cadenti,
Posset vt hinc fructu luxuriare nouo.

ALEXANDER è SANCTO ELPIDIO quod oppidum est in Vmbria, Archiepiscopus Rauennæ creatus, diuinis & humanis litteris imbutus, scripsit iubente Ioanne XXII. Pont. Max. opus duobus libris distinctum.

De Iurisdictione Imperij
Et Auctoritate Summi Pontificis.
Item de paupertate Euangelica lib. I.
De Ecclesiastica vnitate lib. I.
De potestate Ecclesiastica ad Ioannem Papam.
In lib. Priorum Aristotelis Comment.
In libros Topicorum Aristotelis Comment: & alia multa
Claruit anno 1330,

Præsule tam docto præclara Rauenna superbit,
Cui sacra diuinas indidit Elpis opes.

ALEXIVS MENEZIVS ex illustri familia MENEZES in Lusitania natus Archiepiscopus Goanus, & totius Indię Orientalis primas, vir est omni laude maior, æternâ memoriâ dignus, & cuius paucos pares Ordo Augustinianus tulit, Doctrinâ, Prudentiâ, Gubernandi peritiâ, vitæ sanctitate spectabilis, ratione agēdi cum infidelibus, schismaticis, Barbaris, ad miraculum prudens. cuius quidem egregium specimen dedit, pręter cetera in visitatione Archiepiscopatus Angamalensis. De eodem, ex Ioan. Hay Societ.

Societ. Iesu, libro de rebus Iaponicis visum fuit hæc adiungere.

Archiepiscopus Goæ Alexius Menesius, Archiepiscopatum Angamalensem visitare decreuit eo fine, vt sedem illam ad suscipiendum Prælatum de manu Summi Pontificis paratiorem redderet. At hostis humani generis, cùm hoc vnum præcipuum his tot incommodis remedium esse perspiceret, varijs technis Archiepiscopo profectionem intercludere conatus est, dehortantibus hinc religiosis, illinc secularibus, ijsq; non infimæ sortis hominibus. dicebant enim hâc visitatione non solùm honorem, personam & vitam Archiepiscopi, verumetiam Rempub. ipsam in periculum non dubium vocari. Hæc illi tantâ pertinaciâ inculcabant, atque vrgebant, vt opt. prælatus ad me scriberet, cælum & terram in ipsum coniurasse. Verumtamen omni terriculamento contempto, visitationem singulari constantiâ cum prouidentiâ coniunctâ, præsente diuini numinis auxilio incœpit, promouit, perfecit. Archidiaconus post multas tergiuersationes & versutias, ita vt parum abfuerit, quin à communione fidelium eijceretur, tandem ad cor rediens se sub Apostolicæ sedis obedientia victurum pollicitus est. Multa in hac visitatione præstitit Archiepiscopus, quæ magnum ad animarum salutem momentum attulisse compertum est. Primùm Sacramẽta, vt validè conferrẽtur, effecit: deinde libros Nestorianos quorum maximus erat numerus, à sexcentis erroribus, & sententijs Catholicæ fidei repugnãtibus, expurgandos curauit: quidquid Summi Pontificis supremã auctoritatem impugnabat, deleri fecit. Postremò parochos idoneos, qui nullibi penè reperiebantur, diligenter conquisitos, Ecclesijs præfecit. Media quæ Archiepiscopum ad hunc finem consequendum, maximè iuuerunt, hæc ferè fuerunt. Ipse per se Ecclesias visitauit, octoginta parœcias instituit, Synodum Diœcesanam indixit, ad quam Ecclesiasticos illius Archiepiscopatus, & nostros Sacerdotes solummodò iuxta antiquam consuetudinem, conuocauit, aßistente præfecto Cocinensi Antonio Noronia, & prima-

rijs

rijs ciuitatis, qui Regis Lusitaniæ nomine horum Christianorum tutelam in se susceperunt. Quæ res quanto regiæ Maiestati emolumento sit futura, norunt, qui non ignorant, quanti sit momenti, gentem in tota India lectissimam, à temporibus B. Thomæ Christiano cultui deditam, támque numerosam & potentem, vt armatos ad triginta millia in promptu habeat, cum Lusitanis vnire, ad Ecclesiæ Romanæ obedientiam reuocare, & in fidē ditionémque Regis Catholici accipere. Magno etiam fuit adiumento, animarum zelus & vitæ exemplum, quo opt. ille Prælatus nouem mensium spatio plus (vt nostri affirmant) in animarū salute promouenda profecit, quàm quotquot à B. Thoma ad hæc vsque tempora illam sedem tenuerunt.

C ALEXIO

Plenius autem hæc & copiosius describit, linguâ Portugallensi R.P.F. *Antonius Gouea*, quam historiam in idioma gallicum transtulit R. P.I. *Baptista à Glano* Augustinianus.

Scripsit doctissimus, pijssimusque Pater (vt testatur *Antonius è Goueâ Ord. nostri Episcopus Binensis*) librum *Sanctorum sui Ordinis* Prouinciæ Lusitaniæ.

ALEXIVS STRADELLA natione Hetruscus, patria Fiuizanensis, dictus à Genua, vbi Ordinem professus est, inter Italicos concionatores suo tempore præcipuus, nonnulla ad Posteros suorum librorum monumenta transmisit, è quibus excusa sunt.

Conciones duobus voluminibus distinctæ.
Dialogi tres, vnus *de miseria humana*.
Alter *de diuino Amore*.
Et tertius *de Gloria Paradisi*.

Hic à Gregorio XIII. Pont. Max. Episcopus Nepesinus Sutrinus constitutus est, cum Ordinis Procurator existeret. Deinde ab eodem Pont. legatus ad Carolum Archiducem Austriæ, cùm eò se conferret, in itinere febri correptus è vita apud suos decessit die 27. Augusti 1580.

In medio rapuit STRADELLAM *limine Parca,*
Legati tamen est sic morientis honos.

ALIPHATVS ANGLVS Gregorij Ariminensis auditor, & discipulus, edidit *super primum sententiarum* librum egregium, qui exstitit Parisijs in bibliotheca Ordinis.

ALIPIVS CARMANIOLA Taurinensis, Vir doctus, & in habendis ad populum sermonibus suo tempore nemini cedens. Scripsit duo volumina

Super Euangelia & Epist. quæ toto anno in Ecclesia recitantur. Claruit anno 1460.

ALPHONSVS à CORDVBA Hispaniæ Beticæ vrbe, Vir liberaliter doctus, cum Parisijs sui studij titulos reportasset, Salamanticam veniens, viam nominalium introduxit, ibique multis annis docens rexit cathedram Gregorij Ariminensis doctrinæ celebritate ibidem institutam, Scripsit tractatus quosdam in logicam.

Comment. edidit in libros Aristotelis Ethicorum, Oeconomicorum, & Politicorum. Decessit tandem in ciuitate Abulensi anno Domini 1544.

Mantua Virgilio, gaudet Verona Catullo:
ALPHONSO *gaudet Corduba clara suo.*

ALPHONSVS GONZALES MENDOZA Hispanus Sacræ Theologiæ Doctor, in Academia Salmant. Scoti Cathedræ Præfectus, Edidit *controuersias Theologicas.*

Item *relectionem de regno & Dominio Christi.* Quæ edita in Hispaniis, recusa sunt Coloniæ Agrippinæ in officina Birckmannica, anno 1603. Legat studiosus *epistolam* eius vberem *dedicatoriam*, quâ librum inscribit Garsiæ Louysiæ Philippi III. Hispaniarum Principis magistro.

ALPHONSVS AB OROSCO Hispanus eloquentiâ, variarumque scientiarum cognitione clarissimus, antea CAROLI V. Cæsaris, post verò etiam Philippi II. Hispaniarum Regis concionator: Madritenses omnes ob pietatem in sui amorem & reuerentiam concitauit. Scripsit librum Orthodoxis omnibus peru-

pe utile n. & maximè religiosis viris, qui *Bonum certamen* appellatur, Salamanticæ & alibi impressum. Scripsit quoque in *Cantica Canticorum*.

Item Hispano sermone *examen conscientiæ*, in quo tres partes pœnitentiæ elucidantur. Quibus *directorium Confessariorum, Pœnitentium, & communicare volentium annexum est* lib. 1.

Hortum orationis & montem meditationis in quo ad Christi imitationem orare docemur, huic quatuor meditationum gradus adiunxit lib. 1.

Memoriale sancti Amoris, in quo ostenditur, quomodo Amoris debito, quo Deo obstringimur, possumus satisfacere. Et insuper singulis diebus septimanæ, *proprium exercitium* attribuit, præsertim diei Veneris, cui passionem dominicam præfixit. lib. 1.

Institutionem vitæ Christianæ certis documentis cõplectitur, quomodo scilicet quilibet Christianus vitam agere debeat, fini Exercitii *spiritalis palæstra* adiecta est. lib. 1.

Directorium animæ, quod demonstrat, quâ ratione Euangelium exequi Christiano conueniat; quare Instructionem Christianam super fidei Articulis, & Decalogo comprehendit. lib. 1.

Desponsatio spiritalis, de Votis Religionis tractans.

Soliloquium in fine adhæret, in quo passio Dominica tota exprimitur lib. vno. Prædicta opuscula excusa sunt Vallisoleti anno 1554. per Sebastianum Martinez. Postea variis locis Latino & Gallico sermone donata, recusa sunt.

Edidit præterea *conciones de Solemnitatibus B. Mariæ Virg*. lib. 1.

Tractatum *de Rosario B Virg* quæ duodecim priui-



legijs reliquos sanctos superauit, vt reuelatum fuit S. Ioanni Euangelistæ.

Edidit præterea *duodecim orationes ad B. Virg.* vt pro nobis duodecim virtutes apud filium impetret. Madriti anno CIƆ. IƆ. LXXXVIII.

Scripsit quoque sermone patrio quandam *nostri Ord. historiam*, in qua recensentur multa de beato Patre Augustino, de sancta Monica, de S. Nicolao, deque alijs pluribus, qui nō solùm Augustinianam familiam, verumetiam Christianum nomen admodum decorarunt.

Exstant eius & alia plurima Hispanicè.

Ædificauit Talaueræ in Carpetanis, opido agri Toletani cœnobium suis religiosis. anno CIƆ. IƆ. LXVI.

Cæsaris est aliquid Regisque fauoribus vti:
Sed laus est ingens te placuisse Deo.

ALPHONSVS GVTIERREZ à VERA CRVCE Sacræ Theolog. Doctor in inclyta Mexicana Academia, quæ est in India solis occiden. primariæ Cathedræ Moderator, Vir scientia, & sanctitate clarus, ipse & XXIV. alii Fratres eiusdem Ordinis, ex Hispanijs selecti, Regis iussu, eiúsque Regio Indorum consilio, ad Insulas Moluccas deuenerunt; vbi primi Barbaris illis gentibus veræ fidei complectendæ institutores fuêre. Ordinem nostrum ad hoc munus illis in locis obeundum elegit Rex Philippus II. Alphonsus apud Indos Prouincialis Magistri dignitate claruit, & annos concionatus 30. Sacrasque literas in Mexico professus, reliquit ingenii monumenta

Speculum coniugatorum, quo nodos omnes in Matrimonij ac Pœnitentiæ Sacramentis difficiles, subti-

ſubtiliter expediuit. Opus vtile ijs, qui peccata confitentibus aures dare conſueuerunt.

Scripſit quoque *in Logicam, & Phyſicam Ariſtotelis,* præclara comment.

Epiſcopatum Nicaraguę Indorum detractauit. Claruit anno Domini CIƆ.IƆ.LXXV.

Quantus eras verbo populi ſenſere Molucci,
A te cùm Fidei ianua paſſa fuit.

ALPHONSVS VARGAS Toletanus incomparabilis vir ingenii, primò Epiſcopus Vſſamanus, deinde Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Pariſiis magno auditorum plauſu, cùm Philoſophiam, tum Theologiam propè decem annis eſt profeſſus, edidit Comment. *in primum Sent.* lib. IV.

Et in lib. *Ariſtotelis de anima* multa eruditione referta Venetiis, & alibi impreſſa. Deceſſit Hiſpali, anno ſalutis CIƆ. IƆ. LIX. Sepultuſque eſt in ſua Eccleſia.

Inclytus Alphonſus terrâ Polyiſtor Iberâ
Se probat ingenio, moribus, ore, libris.

ALVYSIVS MARSILIVS Italus, librum *ſermonum* reliquit. *Commentariorum variorum* lib. I.

Claruit Florentiæ anno CIƆ. CCC. LXXX. D. Antonius in Chronicis.

AMBROSIVS BELTRAMVS Venetus S. T. profeſſor, edidit Tractatus de *voto paupertatis in Religione,* Venetijs CIƆ.IƆ.LXXXI. apud Muſchium.

AMBROSIVS CALEPINVS Bergomenſis diuinarum & humanarum literarum indagator ſtudioſiſſimus, opus pergrande ſua induſtria, magno labore ex innumeris propè auctoribus collectum de VOCABVLORVM notitia, ac præpoſitionum Interpretatione Græca, & Latina, cum auctorum teſtimoniis

 nobis

obis commune fecit. Videtur & alia quædam scripsisse. nam vbi Venetiarum mentionem facit; De huius (inquit) Ciuitatis laude, quoniam apud Iacobum Philippum *Chronicon* à nobis latè cōgestum est, duximus omittendum. Obiit Bergomi valdè senex anno CIↃ. IↃ. X. & in Ecclesia S. Augustini sepultus iacet.

Condus hic est CALEPINVS *opum, promúsque bonarum*
Græcia quas tellus, quásque Latina parit.

AMBROSIVS CORANVS, SEV CORIOLANVS, Prior generalis, vir in Scripturis sanctis, & bonis artibus apprimè versatus, edidit

De Regimine Reipublicæ lib. 1.
De Inuentione Artium lib. 1.
De Sphæra virginis. lib. 1.
De Idea lib. 1.
De Proprietatibus Angelorum lib. 11.
De Essentia Dei lib. 1.
De ineffabili verbo Dei lib. 1.
De Vita & laudibus diui Augustini lib. 1.
De vita beatæ Christinæ de Spoleto.
Super primum sent.
Super Artem veterem.
Orationes lib. 1.
De dignitate Sacerdotij lib. 1.
De immortalitate animæ lib. 1.
De modo orandi lib. 1.
De veritate fidei Christianæ lib. 1.
De scientia, & sapientia Christi lib. 1.
De Conceptione Virginis Mariæ lib. 1.
De Circuncisione Christi lib. 1.
De viris illustribus S. Augustini lib. 1.
Defensorium Ord. S. Augustini
Super libros Posteriorum Aristotelis.
Super tractatū de Sphæra.
De Laudibus Vrbis Romæ.

SER.

Sermonum volumina duo diuersi argumenti, quos coram Pont. Max. sacróque Cardinalium cœtu perorauit. Claruit anno Domini CIↃ. CCCC. LXX.

Ambrosia verbi, lanâ virtutis, opimis.
Doctrinaque coris affluit Ambrosius.

AMBROSIVS FLORENTINVS ab insigni pietate, *Homo Dei* cognominatus, edidit valde vtiles *sermones quadragesimales.* sunt Florentiæ in bibliotheca nostra sancti Spiritus.

AMBROSIVS FIGERIVS è Bassiano celebri oppido tractus Vicentini. Vir sanè optimis moribus, & laudabilis vitæ, humanis diuinisque litteris perdoctus, edidit Hetruscâ linguâ *vitam gloriosam, & miracula illustria* S. Nicolai è Tolentino nostri Ord. Iacobo Sabello Cardinali Amplissimo dicata, iconibus summo artificio vniuersam historiam exhibētibus. vixit CIↃ. IↃ. LXXVIII.

AMBROSIVS NEAPOLITANVS, ingenij acumine prę̄stātissimus, Episcopus Samosensis, & Mantuanæ Ecclesię propręsul, litteris Latinis, Grę̄cis & Hebraicis eruditus, necnon Theol. & Concionator egregius, Philosophiæque & præsertim Academicæ valde gnarus: scripsit

Annotationes in Platonis Alcibiadem, siue *de natura hominis, & de voto*: Ad Comitem Planellæ Iacobum cognomento Probum. *Pracellens tua virtus.*

Commentaria in *Parmenidem.* vel de vno omnium Principio, *& de Ideis*, ad Fredericum Gonzagam Marchionem Busoli. *Si qui ab ineunte ætate.*

De *mundi geniturâ*, vbi sex dierum opera explanantur. *Gestiens ego vermiculus.*

Annotationes, in Tomos distinctæ, in librum *de Caussis*, Ad Vrbini Ducem.

De Fato contra Petrum Pomponatium pro Alexãdro Aphrodisæo, ad Papam Clementem VII. *Quod meas ad te Litteras.*

Contra assertores mortalitatis animæ, ad Sigismundum Gonzagam Sacræ S.R.E. Cardinalem. *Cum omnis opera, ac studium.*

De vera & Catholica fide, Conflictationes contra Luther. ad Ioannem Matthæum Gibertum Episcopum Veronensem: *Si hactenus ad tuas litteras.*

Quod non sit abroganda missa secundum ritum. S. R. E. ordinata, contra Lutherum. *Quam me iuuit ista deambulatiuncula.*

Quadragesimale, quod vulgò, *Gentilis* nominatur.

Sermones per Aduentum vsque ad Epiphaniam, ad Fredericum Gonzagam:

Qui triumphales arcus aut columnas.

Conciones super Salutationem Angelicam, & Canticum Mariæ

Duo mihi creditores.

De tribus Magdalenis, & vnica Magdalena. Claruit anno CIↃ.IↃ.XXIV.

Quam retulit laudem triplici cætus Ennius ore,
Hanc, & maiorem rettulit Ambrosius.

AMBROSIVS QVISTELLVS Patauinus, Ord. Procurator, diuinâ humanâq; sapiẽtiâ fuit clarissimus, idẽque diuini verbi Pręco eximius. Absenti Seripando P. Generali, vicariam ei præstitit operam in Italia. Explicauit in Episcopatu Patauino, magnâ Auditorum frequentiâ, primùm diui Pauli Epist. deinde Euang. secundum Ioannem, tantâ quidem suauitate semonis, tanta facundiâ, vt nemo audientium non vehementer obstupesceret; hinc ad publicum Gymnasium adscitus, honores amplissimos assecutus

tus est. Romæ demum, cum apud Nicolaum Rodolphum Florentinum Cardinalem amplissimum Præceptoris ac Doctoris fungeretur munere, podagræ doloribus excruciatus obijt, anno CIↃ.IↃ.XLVIII.

Edidit opus *aduersus Philosophos*, eos qui asserunt diuinam scripturam nequaquam posse percipi, nisi ab his qui bonam vitæ partem in Aristotelis, & aliorum Philosophorum lectione contriuerint: quod Francisco Pisano Cardinali & Episcopo Patauino dicauit.

Insuper scripsit libellum *de modo prædicandi Euangelium.*

Item *Tractatum de Controuersia inter Doctores & Ecclesiasticos.*

De Vnica, siue Tribus Marijs.

Composuit quoque *quatuor libros Comment. super Magistrum Sent.*

Item *lectiones, in omnes diui Pauli Epist.*

Item *Sermones varios.*

Edidit præterea *in lib: Aristotelis de Generatione & Corruption.* docta quædam Comment. Claruit anno CIↃ.IↃ.XLV.

Dum vigil ac pernox chartis Quistellus inerrat,
Facundo magnum dum crepat ore sophos,
Non potuit fauces angina, manúsue chiragra
Corripere, inuasit dira podagra pedes.

Ambrosius Taibanus patria Tarentinus Italus edidit *templum Eremitanum*, duobus tomis distinctum: in quo agit de Antiquitate Ord. nostri, & de Sanctis, ac Beatis eiusdem.

Andreas Bilius, patria Mediolanensis, fœtibus ingenij varijs perillustris, Philosophus, Historicus & Theol. celeberrimus, ac in vniuersa Italia non solùm

lum eruditione, sed & probitate & grauitate morum admirabilis, cùm Latinam, Græcam atque Hebraicam linguā calleret, ad multorum eruditionem quamplurima conscripsit opera. Incipiens autem ab ipsa *Grammatica*, omnibus liberalibus disciplinis, atque in Theol. & Philosophia Tractatus plurimos non solùm doctos, sed & elegantes conscripsit, qui quanti fuerint, absque nostro testimonio ipsi perpulchre ostēdunt. Ambrosius Coriolanus ait, quod *in Arte Oratoria alter Cicero, in Philosophia alter Aristoteles, in Theolog. P. Augustini pedissequus perfectus erat.*

Edidit: *exordia super practica Rhetorices* lib. 1.
Orationum, & Epist. lib. 2.
Grammatices, siue de Octo Partibus Orationis lib. 8.
De Arte dicendi lib. 3.
Exposit. super Vniuersalia Porphyrij.
Exposit. super. Perihermenias Aristotelis.
Historiarum Longobard. lib. 1.

Querela pacis lib. 1. incipit: Etiam iamne me ex omnibus terris.

De pace cum Philippo Duce Mediolanensium componenda, ad Alphonsum Regem Arragonum lib. 1. *Si vt plerisque hac præsertim hominum ætate.*

Pro suscipienda in Bohemos expeditione, Iordano Vrsino Cardinali lib. 1. *Nihil puto inane pro hac mea cura.*

Panischolaria ad Alphonsum Regem Aragonum aduersus schisma Benedicti (Petri de Luna) lib. 1. *Nullo pacto adduci possum.*

De Concordia, & meritis Ordinum super generali indulto Alexandri Papæ V. ad Reginaldum Remensem

ſem Archiepiſcopum lib. 1. *Multum honoratiſſime.*

De diſciplina Ord. admonitio habita in Capitulo Bononienſi lib. 1. *Neminem puto.*

Admonitio ad fratrem Manfredum Vercellenſem Ord. Fratrum Prædicat. lib. 1. *Nolo aut tu, aut quiſquam.*

Ad Barcinonenſes *de littera H. in nomine IHS.* Omnes vt exiſtimo.

De Conceſſione, & Tranſlatione Beatæ Monicæ Matris ſanctiſſimi Aug. Sermo. Gaudium mihi quoque.

De Ord. noſtri propagatione ad fratrem Ludouicum lib. 1. Non ſane.

De Pace ac Victoria Rom. Eccleſiæ ad Nicolaum Bononienſem ex Ciſtercienſi Ordine, Romanæ Eccleſiæ Cardinalem lib. 3. *Non poſſum pater optime.*

Commentarij Hiſtorici de detrimento fidei Orientis, ſiue *de Origine Turcarum* ad Ioannem Cardinalem & Epiſcopum Rhotomagenſem. *Fractus ſum per hos dies.*

De Amore & Magnitudine Crucis ad Nicolaum Bononienſem Cardinalem, *Vbi te inueniam Deus meus.*

De non neceſſario mortis metu lib. 1.

Hiſtoriarum Mediolanenſium lib. 1.

De Inſtitutis diſcipulis ex doctrina fratris Bernardini de Senis Ord. minorum lib. 2. Forſan quidem ego nequaquam.

Super primum Sent. Quoniam in hoc proœmio.

Expoſitionis in quatuor Euang. lib. 4.

Hexameron ſiue *de mundo ſex diebus condito.* Principium hoc immenſi.

Com-

Comment. super lib. Aristotelis de Anima lib. 3.

Commentaria in lib. de Cælo & mundo, lib. 4.

Quæstiones in lib. De Anima, lib. 3.

Quæstiones in lib. Physicorum, lib. 8. Omnis hic labor meus.

Quæstiones Metaphysicorum, lib. 12. Auctoritas sane plurima est Arist.

Sermonum diuersarum materiarum, lib. 3.

Dominicale, & Festiuum, lib. 2.

Annotationes in Euang. Quadragesimæ. Quantum sim hoc opere perfecturus. Vertit Latine *Arist. lib. 8. Physicorum. lib. 2. de Anima. lib. 10 Ethicorum.*

Ferunt hunc adeo tenacis memoriæ fuisse, vt quodquid bis aut ter legisset, statim memoriæ mandaret.

Qui tandem cum Christi Ecclesiam, suúmque Ordinem, & scriptis, & Prædicatione, & Exemplo plurimum illustrasset, Senis vrbe Hetruriæ senio confectus beato fine quieuit, & in æde S. Augustini est sepultus. floruit anno Domini 1430.

Ingenio similes fuerint, & acumine plures:
Dum cupias omnes vincere μνημοσύνῃ.

ANDREAS NVNNEZ AB ANDRADA natione Hispanus, edidit *hortum Diuinarum scripturarum*, in multas partes distributum.

ANGELVS CAMERTINVS Italus scripsit præclaras expositiones in Euang. lib. 4.

In Epist. Pauli lib. 14.

Lecturas in Magistrum Sent. Senis & Bononiæ habitas.

Sermones ad Populum.

In Dialecticam, & vtramque Philosophiam plura edidit.

Scripsit

Scripsit etiam *in lib. Perihermenias & Prædicamentorum Aristotelis*, quæ manu scripta asseruantur in *bibliotheca* Angelica Romæ in ædibus S. August. locata a *Fratre Angelo Roccha Camerte*, Episcopo Tagastensi & Apostolici sacrarij Præfecto.

ANGELVS FERVS Venetus, Vir tam secularibus quàm diuinis litteris ornatissimus, singulari facundia præditus, & officio Euangelicæ prædicationis egregiè gratus, in Euang. quæ toto anno in Ecclesia, in Quadragesima & Dominicis diebus proponi solent, *Conciones* Antiquorum & Catholicorum Patrū sententiis refertas conscripsit. Claruit etiam in Conc. Trident. Pio IIII. Pont. Max. coram quo habuit Dominica tertia Quadragesimæ, *Orationem Doctißimam*. Decessit Barii in Apulia Præfectus Prouincialis.

ANGELVS *ingenio, virtute lepore, suada*
Se probat: antiphrasi scilicet ipse FERVS.
Non FERVS *vt noceat; dulci, quia vulnera lingua*
Curat, & est agris mentibus vna salus.

ANGELVS MEDIOLANENSIS, cognomento BELLABVCCVS, edidit *Viridarium Sacræ scripturæ*, Venetiis & alibi impressum.

ANGELVS ROCCA à CAMERINO Italus S.T. Doctor, ac Hebraicè & Chaldaicè peritissimus, antiquitatis perscrutator acutissimus, idemq́ue encyclopædiâ (si mortalium quispiam) præditus, Apostolici Palatii Præfectus, ac Tagastensis Episcopus, Edidit

In Bibliothecam Apostolicam Vaticanam Comment. I. variarum artium, ac scientiarum argumentis difficillimis, scituq; dignis refertißima.

Conscripsit quoque *Bibliothecam ex præcipuis tantū quibusdam*

ROCCA *quis, exquiris? meritis hic carmina vincit:*
Post cineres ipsum fama loquetur anus. Obijt Romæ de mense Aprilis 1620

ANGELVS SENENSIS Italus, edidit *vitam & miracula Sanctæ Claræ à Montefalco* Ord. nostri, linguâ Hetruscâ, Senis per Lucam Bonettum anno CIↃ.CCCCC.XCVII.

ANSELMVS HETRVSCVS natus in oppido Montis Falconij, vir sanè memorandus, idemque doctissimus, moribus & sanctimoniâ præclarus: qui disputando ac docendo magnâ nostram Religionem gloriâ cumulauit, ac quædam monumenta memoratu dignissima scripto mandauit, quæ dum viueret, ob superbiæ notam, in lucem prodire noluit. Quæ quidem pòst edita opuscula, magnam hominis eruditionem præseferunt. Demum anno Domini CIↃ.CCCC. LXXXV. ad supremam Ordinis dignitatem suscipiendam coactus, annos nouem illam administrauit.

Quid premis illustres tenebris ANSELME *libellos?*
Non poterit viuax flamma latêre diu.

ANSELMVS VINCENTINVS, vir omni disciplina Iuris Ciuilis, & Pontificij eruditissimus. In *Lutherum* vehementius exardens, iuxta scholæ consuetudinem, librum edidit *De Indulgentijs, alijsque Christianis conclusionibus aduersus Hæresem Martinianam*, Venetijs impressum. Vixit anno 1530.

Quid Martine furis? tibi nascitur Antilutherus,
Vecordes animos comprimet ille tuos.

ANTONIVS ASTENSIS Theol. insignis scripsit in *primum Sent.* volumen grande, quod Mediolani in Bibliotheca nostra S. Marci custoditur, cum multis nostri Ordinis auctoribus.

ANTONIVS AB AZENEDO Hispanus, Prior, Bibilitanus edidit *Catechismum perutilem* lingua Hispanica.

Item *mariale* & quædam alia.

ANTONIVS DVLCIATVS Florentinus, vir acutissimi ingenij scripsit,

Computum Solis & Lunæ, cum ea quæ ad Clericos spectat Astronomiæ ratione, quod opus Ægidio Viterbiensi Priori Generali dicauit. Huic *Dulciato*, opus suum de Computatione annorum Domini dedicat *Ioannes Maria Lucidus Dominicanus*. Vixit anno 1510.

Arduus ingentem supereminet æthera pennis
Ingenij: frustra tollere conor humo.

ANTONIVS GOVEA Lusitanus Professor S. Theologiæ in Conuentu nostro Goano in India, Illustrissimi ac Reuerendissimi Archiepiscopi Goani Alexij Menezij nostri Ordinis, in visitatione Ecclesiarum Malabaricarum Comes, postea Legatus missus à Rege Hispaniarum Philippo secundo ad Regem Persarum, etiamnum regnantem, nunc Episcopus Cinensis in Persia, anno CIↃ. IↃC. XII. Vlyssipone postridie Natiuitatis Christi consecratus, & à Romano Pontifice in Persiam remissus cum potestate Legati à Latere. Scripsit Linguâ Lusitanâ *Diarium siue Comment. rerum gestarum ab eodem Illustrissimo Archiepiscopo Goano, & alia quædam*, quæ *Comment.* Franciscus Munoz transtulit in linguam Castellanam, post Ioannes Baptista à Glano in Gallicam, vt postea latius dicetur.

Quis tentet modico te GOVEA *dicere versu?*
Non patet in laudes India sola tuas.

ANTONIVS KERBEECHIVS natione Belga, pa-

triâ Louanienſis, Prouinciæ Rheni & Sueuiæ Vicarius Generalis, edidit,

Colloquium habitum in via Spirenſi cum quodam Caluiniſta, impreſſum Moguntiæ per Albinum anno CIↃ. IↃC. II.

Tranſtulit ex lingua Hetruſca in Latinam *conciones quadrageſimales Franciſci Panigarola Minoritæ*,

Vitam etiam *B. Matris Tereſa.*

ANTONIVS MELIVS Cremonenſis Doctor Pariſienſis ſcripſit librum perutilem, cui nomen eſt *Scala Paradiſi.*

Edidit quoque Tractatum de *Vero & Legitimo Intellectu Priuilegiorum.*

Et alium librum, titulo *Lectio prima*, & *Breuis Introductio, quaſi prima elementa præbens iuuenibus, qui Iuri Canonico ſtudere incipiunt.* Deceſſit Cremonæ, & in templo ſancti Patris noſtri Auguſtini eſt ſepultus. Vixit anno Domini 1517.

Hoc MELIO *melius greſſu ſuperabis Olympum:*
Scandere ſi dubitas, en tibi ſcala datur.

ANTONIVS DE NOMIS MARCIALA Thuſcus Theol. è libris S. P. Auguſtini quædam capita, omnem ferè litterarum diuinarum tractationem continentia in vnum collegit, librumque inſcripſit *Flores Doctoris S. P. Aug.*

Deceſſit Florentiæ anno Domini 1438. & in Periſtylio monaſterij noſtri ſancti Spiritus ſepultus eſt. Hac monumenti inſcriptione;

DIVINI ELOQVII CVLTOR PIVS MAGISTER ANTONIVS DE NOMIS DE

MARCIALA, *hoc gelido ſub marmore membra reliquit,*
Cuius in æthereo mens alma triumphat Olympo.

Non opus huic tribuant numerosa volumina laudem:
Est etiam scriptis, plus vbi vita valet.

ANTONIVS à RAMPEGOLIS Genuensis, scripturæ sanctæ & Iuris tam Pōtificij, quàm Cæsarei, peritus, ingenio præstans, & clarus eloquio. In Conc. Constantiensi, sua non vulgari prudentia, ac eruditione nomen ingens comparauit. Fuit præterea inter concionatores sui sęculi principes vnus. Eius autem plurima *Sermonum opuscula* exstant, quibus cōcionatores plurimum iuuari consueuerunt. Edidit præterea *compendium figurarum Bibliorum secundùm ordinem Alphabeti*, quod misit religiosis fratribus, qui Neapoli litteris operam dabant, quorum ipse fuerat Doctor, ac moderator. Claruit anno CIↃ.CCCC.X.

Cetera ne referam, quæ sit vis ignea mentis
AntonI; Synodus dicere sola potest.

ANTONIVS SICVLVS, *vide* MELIDONIVS CORIOLANVS.

ARNOLDVS RVFVS Tolosanus Theologus apprimè eruditus, voce, & scriptis valens, rerumque gerendarum prudentia: scripsit *Annotationes in Diuum Patrem Augustinum, de Ciuitate Dei.* & quædam super alios eiusdem tractatus. Vixit anno 1410.

ARNOLDVS SAVCIVS Tolosanus, non solum Theologiam, sed etiam leges, & decreta diligenter perlustrauit, & in his feliciter versatus.

Scripsit *super Sent. lib.* 4.
De generibus vsuræ lib. 1.
De restitutione lib. 1.
De præscriptionibus lib. 1.
Vixit anno CIↃ.CCC.XC.

AVGVSTINVS TRIVMPHVS Anconitanus, ordinis Augustiniani, cùm anno Domini 1243. Innocentio IIII. Pont. Max. natus, ac deinceps liberalibus disciplinis eruditus, mūdo valedixisset, in Eremitanorū S. Augustini familiam fuit cooptatus. Hic vnà cum Ægidio Columna Romano eiusdem ordinis, Lutetiam Parisiorum ad audiendos DD. Thomam Aquinatem, & Bonauenturam Balneoregiensem missus, ad veræ doctrinæ, pietatisque apicem peruenit. Quamobrem & patriam, & genus suum nobilitate clarum, & Augustinianorum Ordinem, atque Ecclesiam illustrauit; Carolo autem secundo Neapolitanorum Regi, & eius filio Roberto percarus, & à consilijs cum fuisset, cœnobia ordinis sui non pauca eorum auctoritate, in magnâ Græciâ, hoc est in Calabriâ, excitauit: Denique cum totam vitam pietati, scriptioniq; librorum dedisset, octogesimo quinto ætatis suæ anno, sanctè decessit ex hac vitâ, vt etiam beatum plerique illum appellauerint. Iurisconsulti autem, atque Theologi honorificam eius scriptorum facientes mentionem ostendunt, quo in loco habendus sit, Ioannes Andreæ, S. Antonius, Turrecremata, Felinus, Decius, & alij. Quin etiam qui hoc sæculo elapso floruere, Martinus Nauarrus, Didacus Couarruuias, Melchior Canus, ac reliqui huiusmodi: cùm Ioannes Tritemius, Raphaël Volaterranus, Sixt. Senensis, Hieronymus Seripandus, Iosephus Pamphilus Episcopus Signinus, & ceteri, eiusdem, aut operum, aut pietatis memoriam reliquerint. Porrò quæ exstant opera, vel edita, vel manuscripta in Bibliotheca Vaticana, siue alibi, hæc sunt.

In Ezechielem. *In Matthæum.* *In Marcum.*

In

In Ioannem. *In acta Apostolorum.* *Item in acta Apostolorum Catena patrum.* *In omnes Epistolas Pauli.* lib. 14. *Item in omnes Epistolas Pauli Catena.* *In Apocalypsim.* *In primum caput Lucæ super Missus est.* & super *Aue Maria*, & super *Canticum Magnificat* *De introitu terræ promissionis.* *De Cantico spirituali, siue de decem chordis.* *De consolatione animarum beatarum.* *De potestate Ecclesiastica.*

De potestate Collegij mortuo Papâ. *De potestate Prælatorum.* *De thesauro Ecclesiæ.* *Quodlibeta Parisijs disputata.* *Contra diuinatores, & Somniatores.* *Tabula, siue Index in Moralia S. Gregorij, cum alijs libris*, & *Tractatibus*. Qui sunt Mediolani in Bibliothec. Augustinianorum S. Marci. De ortu Romani imperij.

Sermones Dominicales ad Clerum, & ad eundem. *Sermones de Sanctis.* Hi autem sermones omnes extant Romæ MSS. in Bibliotheca D. Augustini

Milleloquium è scriptis D. Augustini, quod superueniente morte reliquit inchoatum, quodque deinceps Bartholomæus Episcopus Vrbinas perfecit, & huic asscriptum est. *In quatuor libros Sent.* *De amore Spiritus sancti.* *De Spiritu sancto contra Græcos.* *De Prædestinatione, & præscientia.* *De libero arbitrio.* *De resurrectione mortuorum.* *De Sacerdotio, & regno ac de donatione Constantini.* *Super facto Templariorum.* *De prædicatione generis & speciei.* *Destructio totius arboris Porphyrij.* *De cognitione, & potentijs animæ.* *Expositio, & Quæst. in lib. Priorum Arist.* *Commentatio in libros Posteriorum.* *Commentatio super duodecim libros Metaphysicorum.* Eiusdem *Summa de potestate Ecclesiasticâ* edita, an. Dom. 1584. Romæ.

In vniuersam scripturam lectiones plures. Super *Euang. Dominic.*

Felix, qui potuit, sermonis melle diserti,
Dispare nec vitâ, flectere corda virûm.

AVGVSTINVS e BIELLA Theol. scripsit librum, titulo *Exempla virtutum & vitiorum*: qui hodie sine auctoris nomine circumfertur. Claruit anno 1490.

AVGVSTINVS CAVALLVCVS Italus scripsit *vitam B. Ritæ de Cassia* Ordinis nostri, impressam Senis apud Matthæum Florini anno 1610.

AVGVSTINVS FIVIZANIVS Apostolici Palatij sacrorũ custos, summis Pontific. Greg. XIII, & Clementi VIII. à Secretis Confessionibus, ac totius Ordinis nostri Vicarius Generalis Apostolicus; atque Administrator Romæ Xenodochij sancti Spiritus

Collegit *vitam S. Patris Augustini* ex lib. Confessionum eiusdem.

Scripsit *de Translatione Corporis S. Monicæ ab Ostiâ Tyberinâ Romam.*

Item *de Sanctissima Cruce* Summo Pont. præferenda.

Librum quoque *Beati Iordani de Saxonia* (*qui dicitur vitas Fratrum*) notis illustrauit.

Est tibi cum magno nomen commune parente,
Nec te degenerem pagina docta probat.

AVGVSTINVS FIVIZANENSIS Hetruscus, Doctor Parisinus, ac vir singularis ingenij, tãtæ auctoritatis & gratiæ apud Ægidium Viterbiensem Generalem exstitit, vt eidem negotia Ord. in Gallia præcipuè difficillima commiserit. Aiunt eum aliqua digna immortalitate edita à se commendasse, sed præter

Sermones varios ſapientiſſimis ſententijs ornatos nihil vidi.

AVGVSTINVS FOGIADENVS Cremonenſis, Vir non minus omni virtute, quàm ſcientia S. litterarum præſtans, ſcripſit doctas *expoſitiones in Orationem Dominicam.*

Item *in Angelicam Salutationem.*

Et *in ſymbolum Apoſtolorum.* Vixit anno 1330.

AVGVSTINVS LEO, ſiue LEONISSA edidit *Sermones L. ſuper orationem dominicam.* Item & *ſuper Angelicam ſalutationem* XXVIII.

AVGVSTINVS MORESCHINIVS natione Hetruſcus, patriâ Montalcinus, florentiſſimorum Gymnaſiorum moderator & concionator eximius, congeſſit ex diui P. Aug. operibus aduerſus noſtri temporibus Hæreticos *Tractatus aliquot de Purgatorio.*

De Cultu & inuocatione Sanctorum, & de eorum reliquijs, & Imaginibus venerandis.

De Orationibus, Eleemoſynis & Sacrificijs pro defunctis. Scripſit quoque *de Patientia* lib. I.

De Itineribus ad AEternitatem lib. I. Quæ omnia ſunt Neapoli excuſa. Vixit anno 1568.

Quas Patris Aureli plenis è fontibus hauſit,
Verſus in hæreticos eiaculatur aquas.

AVGVSTINVS MVSÆVS, tum diuinis tum humanis diſciplinis expolitus, & Eccleſiaſtes egregius, edidit *tractatum de diſtinctionibus* iuxta intentionem Ægidij Romani Doctoris fundatiſſimi, Gabrieli Veneto Generali dicatum.

Scripſit præterea elegantiſſimam *Apologiam* in ſui defenſionem; nam falsò obiecta nonnulla, de doctrina, ei fuerant. Vixit anno 1550.

A Muſis ſi nomen habes, id neſcio; Muſa

A te MVSÆO *nomen habere queunt.*

AVGVSTINVS ROMANVS, Romanâ dignus indole, agendo, & patiendo fortia, totius Ord. Generalis, Episcopus Nazianzenus & Cæsennensis anno 1443. ex hac vita decessit, reliquitque non pauca illustria, & gloriosa suæ sanctitatis argumenta. Innumera pene & ipse (vt S. August.) edidit opera, è quibus exstant *Super primum Sent.* volumen grande, Quod deinde in *compendium* redegit Guilielmus Becchius Florentinus. *In omnes D. Pauli Epist.* lib. 14.

In Epist. Cano. lib. 7.

De Libero Arbitrio lib. 1.

In Apocal. Ioannis lib. 1.

De peccato Originali lib. 1.

De Sacramento vnitatis Christi & Ecclesiæ lib. 1.

De Charitate Christi erga electos lib. 1.

De Principatu Christi secundum naturam assumptã li. 1.

De Principatu Papæ lib. 1.

De perfecta Iustitia militantis Ecclesiæ lib. 1,

De meritis Christi lib. 1.

De Sacerdotio Christi, & Electorum lib. 1.

De Potestate Principum in collatione bonorum suorum Ecclesijs lib. 1.

Super lib. Ethicorum Aristotelis Comment. & alia multa.

Sedulitate studes, librorum pondere, vitâ,
Et læto similis filius esse Patri.

AVGVSTINVS SATVRNIVS è Valle Canonica Brixiensis fama clarus, ac insignis suo tempore Grammaticus, ad faciliorem iuuentutis institutionem, ea in arte multis laboribus pleraq; illustrauit. Nam cum ingentem Grammaticorum numerum collegisset, adgressus est loquendi regulas, ex eorũ

dictis

De humana Vita conditione, & toleranda corporis ægritudine, ad Matthiam Coruinum Hungariæ Regem *dialogum*.

De Ratione scribendi lib. 3.

De legibus lib. 1.

Carmina de Morte Platinæ, quæ in fine operum Platinæ leguntur.

Historias Sanctorum multas composuit.

Historias omnes veteris Testamenti elegantiore stylo congessit.

Liber in quo *carminibus heroicis, nouum & vetus Testamentum* complexus est.

Super omnes Epist. Pauli pulcherrima edidit *Comment.*

Orationes permultas elegantissimas & doctas præsertim de *Paßione Domini nostri Iesu Christi*, ad Alexand. VI. Pont. Max. quæ summo Pont. vsque adeo placuit (teste Manutio) vt eam auctor iterum atque iterum repetere cogeretur. Plura in eius laudem videre est in præfatione Aldi Manutij ad hanc Orationem. Et alia multa scripsit. Romæ diem suum clausit anno Domini 1498. Fuit adeo facilis in cudẽdis versibus cuiuscumque generis, vt quidquid dicere vellet, id versus esset. Exstant in ipsum quædam Pogij Epist. in eius laudem.

A. Manutius de eodem in Præfat. Orat. de Passione Dominica, ait: *Magnus sanè vir fuit Lippus magnisque viris acceptus; sũmis, medijs, infimis apprimè charus; præcipuéque Pontificibus, Imperatoribus, Regibus: at quibus Regibus? ijs nempe, quorum memoria inter Reges omnes Regia erit semper. Litteratis hominibus, ijsque inter summos summis, Hermolao Barbaro, Pogio, & vniuersis sui æui.*

AVRELIVS FILVCCVS è PESARO Italus scripsit *Conciones super Euangelia*, & *Festa totius anni.*

anni. Venetijs apud Antonium Bertanum CIↃ. IↃ. LXXXVII.

BASILIVS PONCE DE LEON S. T. Doctor in Academia Salmanticensi Cathedræ Scoti Professor celeberrimus atque Concionator disertissimus, scripsit Hispanico sermone *Concionum duo volumina*, vnũ quodque in duos tomos distinctum, quorum vnum Euang. totius Quadrag. Aliud Euang. totius anni cõplectitur. Audio & tertium edidisse de Sanctis. Scripsit quoque de Agno typico, & alia.

O nisi te viuos inter numerare necesse,
Iret vt in laudes nostra Thalia tuas.

BANCHINVS LONDINENSIS, Oxonij olim primarius Theol. Professor, ac diuini verbi præco celebris, reliquit ingenij fœtus, *Librum contra positiones VVicleffi.* Alterum *librum variarum determinationum. Sermones ad* populum lib. 1.

Tu quoque, sed quondam par visa Britannia cœlo,
BANCHINO *partum non leue nomen habes.*

BAPTISTA ALOVISIANVS Rauennas, excellens diuinarum Professor litterarum, edidit quemadmodum narrat Antonius Sabellicus (quo cum familiarissimè & amicissimè vixit) *de Aurelij Aug. rebus Comment.* accuratissimè conscriptos. In quibus commemorat *Ord. nostri monasteriorum* per id tempus fuisse circiter *duo millia. Initiatorum ad triginta millia Virginum loca trecenta. Sanctos & Beatos octoginta quinque.* Viros Theologica eruditione claros, qui pie multa & accurate ad Orthodoxæ fidei momentum scripsêre, quam plurimos. Claruit anno 1490.

BAPTISTA POGIVS Genuensis doctrinâ & exemplo quam plurimos ad bene beatéque viuendum feliciter adhortatus, effecit, vt bonorum virorum *Congre-*

Congregatio quã S. Maria de Consolatione vocãt, instit̃ueretur. De quo fit honorabilis mentio apud August. Iustinianũ Episcopũ Nebiẽsem *libro Annalium Genuæ. Eo tempore* (scilicet 1470. *floruit admodum Venerabilis Pater Frater Baptista Poggius Genuensis Ord. Diui Augustini de obseruantia, religiosus quidem, & vita integritate, & congruenti eruditione decoratus, vt ex multis dignis operibus perspicuè intelligi potest, quandoquidem vt percupidè religiosa & reformata vita, sub titulo S. Mariæ Consolationis instituit & fundauit dignam Congregationem Fratrum de Obseruantia S. Augustini, soccos ligneos gestantium, maiori abstinentiâ, & paupertate quàm aliæ multæ Congregationes* , &c. Parum pòst addit. *Induit præterea multos viros probos habitum, ad suam Religionem allectos, bono suæ sanctitatis odore, Erat valde humilis, suoque in sermone iucundus, & in Italia admodum salutifer in explicando Verbo Dei, & in suis actionibus singulari refertus charitate. Hæc ille.*

Scripsit quædam pia & docta quæ ab eruditis desiderantur.

Quisquis ad extremæ virtutis culmina tendit,
Is demum finem Relligionis amat.

BARTHOLOMÆVS VRBINAS Augustini Anconitani alumnus, suæque vrbis dignissimus Præsul, publicis in scholis, Parisijs præsertim, Bononięque viris nostri Ordinis eruditis est vsus, cuius illa in primis admiranda est atque profectò stupenda viri industria, quâ tam D. Patris Aug. mare, quàm Ambrosij supernatauit flumen, vtriusque enim Doctoris, singula dicta, magnâ planè diligentiâ in Alphabetum redegit, & opus in vnum collectum, nominauit.

Milleloquium Augustini. Milleloquium Ambrosij. Scripsit item opus aliud, titulo, *de Bello Spirituali.* Redegit præte-

Cui de lacteolis suis papillis
Succos ingenij beatioris,
Et lingua mera mella perdiserta
Fuderunt Charites benigniores.

BASILIVS è Ripâ Brixiensis, rari vigilantísque ingenij ab ipsâ pueritiâ bonarum artium studia impensè est complexus. Ætate suâ fuit Theol. & Orator verbi diuini, vt in paucis fuerit dignus censeri. Composuit librum *de vitâ priuatâ* ad Reuerend. Patrem Fr. Benignum de Ianuâ.

Item *tractatum* cui titulus est. *Publica descriptio ficulneæ cucurbitæque.*

Scripsit quoque *vitam B. Fr. Bartholomai de Palazzolo.*

Item *libellum in Ius Canonicum.*

Item *Orationes non paucas.*

Conciones vero sacras quas gratissimas habuerat, summa cum industria in vnum collegit volumen. duobus lib. distinctum. Quorum vnum nominauit *Aduentuarium.*

Alterum *Quadragesimale.*

In *Aduentuario* tractat de laudibus Sacræ Scripturæ, de miraculis, de Spe, de Verbo incarnato, de laudibus S. Ioannis Euangelistæ, de Educatione filiorum, de Adoratione magorum.

In *Quadragesimali*, de dignitate Verbi Dei, de Charitate, de Conuersione hominis, de Virtute Pœnitentiæ, de Iuste viuendo, de Iudicio vniuersali, de Confessione, de Abstinentia, de Cognitione peccatorum de Conscientia, de Iudicio temerario, de lingua venenata, de Laudibus viduitatis, de Tribulationibus, de Defectibus fidei, de Infelicitate mundana, de Sacramento altaris, de Passione Christi, de

Resurrectione, de Prudentia, & de Pace. Vixit anno Domini 1504.

Ripâ phaselum duc age prosperè
O RIPA, *& alto crede ratem mari,*
Ne vortices timesce, namque
Fluctibus exilies subactis.

BELLINVS PATAVINVS (siue vt vocant DE PADVA) Theol. pius ac doctus, cum in lectionibus probatorum Auctorum, qui de Sanctorum vita ac Martyrio scripsêre plurimus esset, multâ curâ diligẽtiâq; contendit, vt *Martyrologium*, quod in Ecclesijs communiter legi solet, fidelissimè imprimeretur. Citatur à Ioanne Molano in lib. Natalium Sanctorum Belgij.

Scripsit quoque *librum de Laudibus Martyrum.* Claruit anno 1530.

BENEDICTVS ICENVS Episcopus Cardicensis, disertæ linguæ beneficio, ac variâ scientiarum instructus supellectile, multos sui temporis Theologos Theologus & ipse antecelluit: eiúsque ad populum Conciones tam arriserunt Antonio id temporis Episcopo Nordouicensi, vt illum præ omnibus suffraganeum, ac suæ functionis participem elegerit. Reliquit posteris

Alphabetum Aristotelis libro vno, Homo nosce tuam vitam.

Sermones per annum lib. 1.

Epistolas Hortatorias lib. 1. atque alia quædam.

Claruit anno Domini 1350. Nordouici sepultus.

Mouit Amphion lapides canendo.
Credat hoc quisquam, cui laua mamma

Exsilit

Exsilit? saxis magè dura corda
Nablio docti Benedictus olim
Mollijt ore.

BENEDICTVS LVSITANVS Vlyssipone natus, vir moribus & litteris illustris, & Vlyssipone Philosoph. ac Theol. Professor publicus, scripsit *libros aliquot*, qui vnà cum lectionibus & tractatibus Roderici S. Crucis, & Ioannis Magdalenæ Vlyssipone in Bibliotheca nostri Conuentus custodiuntur.

BERNARDVS, quem Angeoleriorum gentem illustrasse ferunt, in Eremit. D. August. familia Florentiæ tantum profecit, vt tanquam virtutum exemplar ab omnibus per id tempus quo vixit, coleretur. Non enim sola vitæ integritas illum commendabat, sed diuinarum litterarum rara quędam scientia. Is non satis esse arbitratus publicis concionibus, & priuatis sermonibus legem Domini populos erudire, librum planè vtilissimum omnibus composuit, cuius inscriptio est

Speculum Charitatis. Incipit. Nihil dignius, quam vt Creator ametur à Creaturâ.

Dum speculum scribit sacri Bernardus amoris,
Virtutum speculum se probat esse simul.

BERNARDVS ANDREAS, patriâ Tolosanus, homo eruditus, & Poëta per eam tempestatem excellens, artes ferè omnes, quas liberales vocant, auidè didicit: Qui Tolosâ discedens, Londinum in Angliam peruenit, & ab Henrico Octauo Anglorum Rege tunc Catholico, in aulam adscitus, ac Regij Poëtæ nomine statim insignitus est. Qui vt pleniori obsequio, tunc tanti regis demereretur animum,

mum, diuersi generis carmina edidit, eique dedicauit

Hymnos sacros per totum annum lib. 3.
Vitam D. Andreæ Apostoli lib. 1. atque alia multa.

Dum Phœbo Bernarde sitim quærereris anhelam,
Hic Aganippæus fons, ait, inde bibe:
Ostenditque simul Regis tibi gesta Britanni,
Qui post Archilochi carmine dignus erat.

BERNARDVS è MARTELINIS Florentinus, Theologiæ, ac Philosophiæ scientiâ claruit, sacrísque litteris egregiè instructus, Episcopus Cæsenæ factus, quædã scripta reliquit, quamuis nihil eorum ad meam notitiam peruenerit. Claruit anno Domini 1440.

BERNARDVS OLIVERIVS, siue Oliuarius Valentinus, vir acris iudicij, Theol. fuit Parisiensis celeberrimus, denique Episcopus Darcusensis, qui propter doctrinæ præstantiam summis omniũ laudibus est celebratus. Scripsit

In MAGISTRVM *Sent.* lib. 4.
Super Cap. cum Martha de celeb. miss. lib. 1.
Quæstiones Quodlubet. lib. 1.
De diuinis officijs lib. 1, & alia quædam.

Quàm sophiæ dulci fragrant tibi tempora Nardo!
Omnis olet nardum Sequana terra tuam.

BERNADVS PVGALIS Tolosanus, vir intellectu profundo, perscrutatus non pauca ad Philosophiam tum cœlestem, tum humanam excolendam. Posteris reliquit.

Super primum Sent. lib. 1.
Super secundum Sent. lib. 1.

Super Paulum ad Rom.lib.1.
Tractatum de vsuris lib.1.
De intensione & remissione formarum lib.1.

BERNARDVS SAVONENSIS Theol.scripsit in *omnes diui Pauli Epistolas egregia comment*.quę Ferrariæ cũ eius quibusdam sermonibus in Bibliothecâ nostrâ S.Andreæ custodiuntur.

BERTOLDVS RATISPONENSIS insignis Philosophus & Theologus, & Academiarum Ordinis nostri, per Germaniam Rector inclytus, Scripsit *in Magistrum Sent. & in lib. Aristotelis de Anima Quæstiones.*

BERTRANDVS PARAYTE Tolosanus in diuinis scripturis iugi studio exercitatus, scripsit Super *Actus Apostolorum* lib.1.

In Epistolas Canonicas duplicem Expositionẽ libris quatuordecim.
In Apoc.Ioannis lib.1.
Milleloquium veritatis incepit, sed nõ perfecit morte præuentus. Claruit anno Domini 1370.

Bertrandus Pastoris Tolosanus scripsit,
In priora Aristotelis libros duos.
In Topica eiusdem lib.4.
De Triplici bono Ecclesiæ lib.3. Claruit anno Domini 1390.

BONAVENTVRA PERAGINVS Patauinus totius Ord. Generalis, ac sanctæ E. R. Cardinalis. Vir magno consilio, animique constantiâ: Qui cum pro tuenda Ecclesiæ libertate Francisco Seniori Carrariensi Patauinæ ciuitatis Principi sese opponeret, & iniquis illius postulationibus, quantâ pote-

rat animi constantiâ, & vi rationis, obsisteret. Carrariensis vehementer commotus procurauit per occultos sicarios, vt Bonauentura tantæ præstantiæ Vir Romæ impiè ac nefariè occideretur. Is enim sagitta ex occulto per pontem S. Angeli missa, immaniter transfixus occubuit. Scripsit egregia, & valde vtilia volumina,

In libros Sent. Petri Lombardi Comment. quatuor tomis distincta.

Vitam Christi, vel Meditationes valdè pias in vitam Christi.

Speculum Mariæ editum Augustæ 1476. *Vitas Sanctorum.*

In Canonicam S. Iacobi Apostoli Comment.

In Canonicas Ioannis Commen.

Sermones de Tempore. *Sermones de Sanctis.*

Sermones ad Clerum varijs argumentis.

Item scripsit *Ternarium seu trinum bonum de Regimine conscientiæ.*

Item *Breuiloquium*, vbi procedit subtilissimo modo Theol. à prima caussa ad suos effectus, sicut contrà philosophica deductio progreditur ab effectibus ad Deum. Parisijs operã litteris dedit, vbi nõ solum doctoratus insignia suscepit, verumetiam propè decem annis Theol. publicè professus est. Hic Francisco Petrachæ fuit peramicus. eidem iam Cardinali nonnullas doctas & pias virgo Seraphica B. Catharina Senensis Epistolas misit. Martyrio coronatus est anno salutis 1396. Romæ sepultus ad S. Augustinum.

Quæ BONA *tam cupidè cælo* VENTVRA *rogabas,*
In te, liuoris, missa sagitta, dedit.

BONVS.

BONVSBLANS siue BONSEMBLANTES Patauinus ol. insignis, Bonauenturæ Prioris Generalis ter vterinus, Vir acutissimi ingenij, & magnæ li-turæ, scripsit, Iordano de Saxonia refe-te,

Vtile opus studentibus.

Item *multos Sermones ad Clerum.*

Etiam *diuersas Quæstiones tam philosophicas, quàm ol.*

Scripsit etiam *Lecturas in 1.2.& 3.Sent.*

Venetijs obijt Iuuenis religiosissime: nam post lationem sacri Mysterij, statim, vt diuus Hiero-mus de Blesilla ait: Subitâ morte Dauidicos Psal-os anhelans subtractus est. De quo tanquam viro o tempore multum singulari Franciscus Petrar-ca Epist. lib. 11. mentionem honorificam facit. Cla-uit anno Domini 1378.

Quæ BONA *spes auido* VENTVRA *spoponderat orbi*
Pòst BONSEMBLANTES *funere restituit.*
At (sors infelix!) fratri quod liuor ademit,
Hoc BONSEMBLANTI *præcoce Parca nece.*

BONVS STVPA Comensis solâ Iacobi Bergo-mensis auctoritate mihi cognitus, nonnulla scripsit (vt ipse testatur) in diuinis.

CAROLVS VIARDOT Burgundus edidit Libel-lum Gallico idiomate hac epigraphe: *Discursus de Co-metæ, seu Stellæ caudatæ apparitione, supplicia humano generi, nî vitæ studeant emendationi, intentantis.* Eidem adiunxit *Tractatum de Vita salutari* Lugduni impressum anno 1611.

CHRISTOPHORVS, FONSECA quem A. Posse-

uinus Christianum vocat, Hispanus, Sacræ Theol. Doctor, Prouinciæ Castellæ visitator, scripsit linguâ Hispanicâ

De Amore Dei, siue de Arte amandi Deum lib.1.

Edidit Vitam Christi in tres tomos, siue partes diuisam.

In prima fusè describit *vitam Christi*, quam dedicauit Illustrissimo Domino Ioanni Mendoza Guimano Comiti ab Orgas.

In secunda agit de *Miraculis Christi* dedicatam Reuerend. ac Illustrissimo Domino D. Bernard. Roxas Archiepiscopo Toletano, & sanctæ R. E. Cardinali.

In tertia agit de *Parabolis Christi*, inscriptam Reuerēd. Domino D. Henrico Enriquez Episcopo Osmano Ord. Eremit. sancti Augu. Excusæ sunt hæ tres partes Madriti anno Domini 1603. & 1605. In Prologo libri de Arte amandi Deum, promittit in lucem emittere varios tractatus diuersis argumentis.

CHRISTOPHORVS PATAVINVS, Prior Generalis, Vir magni iudicij, Theol. & Philosophus insignis, ac vitæ innocentia & morum sanctimonia clarissimus, qui cum extremè morbo laboraret, (prius extrema Vnctione petitâ) Christum in cruce fixum assiduè manibus ferebat, illumque amplexabatur, & osculabatur, hæcque verba grandi, & clara voce, intrepidoque corde proferebat. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum* Quibus verbis tertiâ vice prolatis ex hac vitâ anno salutis 1569. emigrauit. Et antea non semel hortabatur fratres qui circum astabant, vt solum de rebus diuinis loquerentur, & sępissime ad imaginem Christi conuersus dice-

:bat *Trahe me post te, Trahe me post te, curremus*, &c. Et
erſum Ord. Chriſto ardentiſſimis verbis atque
ymnis vehementiſſime commendabat.

ſcripſit de *Sacroſancto Eucharistiæ Sacramento.*
De *Sacrificio Miſſæ.*
De *Pœnitentia.*
De *Extrema Vnctione.*
De *Voto ſolenni.*
De *Epiſcoporum reſidentia.*

Eius etiam extant *Orationes*, & *Sermones complures*, os coram Papa & Cardinalibus Ordinis Procuror exiſtens, & ad fratres Prior Generalis habit.

Dum cruce pendentis frueretur imagine Chriſti
Chriſtophorus, magnâ talia voce refert:
Me trahe Chriſte, precor, trahe me, curramus vt ambo:
Quid tardas? trahe me, me trahe, Chriſte, trahe.
Dixit, & effectus voti mox compos, obiit:
Quis putet hunc morbo, non & amore mori?

CHRISTOPHORVS PISAVRENSIS Theol. & Iuris Pontificij peritiâ clarus *Librum Definitionum* compoſuit, in quo breui explicatione propriam cuiuſq; rei vim declarat.

Tractatus inſuper duos edidit, vtiles admodum.
Vnum *de Simonia.*
Alterum, quo declarat *arborem gradus affinitatis, & conſanguinitatis.*

Scripſit præterea pulcherrimam *in Orationem Dominicam explanationem.* Claruit anno 1460.

CHRISTOPHORVS SANCTOTITIVS Hiſpanus Sacræ Theol. Doctor, ad vtriuſque Iuris, & reliqua-

 rum

rum disciplinarum accuratam scientiam diuinas coniungens litteras, ea raræ doctrinæ specimina reliquit, quæ Ordini perpetuo ornamento sunt futura. Fuit idem Concionator celeberrimus, & in Belgio R. Patris Generalis vicarius. Scripsit.

Comment. in quatuor Euangelistas. Super *vniuersa Euangelia Dominicalia, quæ Dominicis diebus in Ecclesia leguntur*, in folio, vt aiunt, impressa duobus Tomis Burgis apud Ioannem Varesium anno 1607.

Theatrum Sanctorum Patrum ex decret.

De verâ Hæreticorum Origine agnoscendâ.

Scrutinium S. Scripturarum D. Pauli à sanctâ Mariâ Episcopi Burgensis, recognitum, ac restitutum operâ eiusdem.

Vitam eiusdem D. Pauli à sanctâ Mariâ.

Habuit quoque in Concil. Trident. Orationem doctissimam Dominicâ III. Quadra. anno 1563. de signis veræ Ecclesiæ.

Siue catum pectus, seu docta flumina linguæ
Intueor, ratio laudis vtrimque datur.

Clemens Mercatoris Tolosanus, paucis quidem, sed solidis operibus specimen suæ doctrinæ reliquit. Scripsit

De anima quæstiones lib. 1.

Item de potentijs Animæ lib. 1. Claruit anno CIↃ.CCC.LX.

Conradus è Monte puellarum Teutonicus, Ratisponensis Ecclesiæ antea Canonicus, in Gymnasio Erphordiensi rudimentis liberalium artium imbutus, se Parisios contulit, vbi Philosophiâ & sacris litteris eruditus, doctoris insignia consecutus est. Fuit hic indefessi laboris summæque industriæ

triæ. Scripsit ad Lupoldum Episcopum Bambergensem grande, & nobile opus, quod prænotit

Oeconomicam lib. 3. *Omnis moralis Philosophia.*

Monasticam ad ducem Austriæ lib. 1.

Politicam quoque lib. 1.

Quæstiones varias lib. 1. & alia multa.

HIC CONRADVS annis maturus, & iam pridem agisterii, insignibus decoratus, sæculum valere iuns, Religioni nostræ Ratisponæ se dedit. Claruit nno Domini 1390.

Hoc demum sapere est: gelidâ properante senectâ
Sectari tutum relligionis iter.
Imbutus mentem Sophiâ, CONRARDE *sapisti,*
Ne te præcipitem multa senecta daret.

CONRADVS TREGARIVS Heluetius per superiorem Germaniam Præses Prouincialis, Theol. insignis, doctrinam Catholicam in Germaniâ fortissimè defendit

Paradoxis centum, de Ecclecia consiliorumq; auctoritate Reuerendo, ac Illustri Principi Fabiano è Montefalcone Episcopo Lausanensi dicata, & Argentinę impressa.

Cùm apud Bernates Heluetios, anno 1527. decreta fuisset disputatio Catholicorum cum Zuinglianis, solus è Catholicis Doctoribus (vt etiam in suo Comment. annotat Laurentius Surius) hic vnus CONRADVS Tregarius Augustinianus in arenã cum aduersariis descendit, palmamque victor reportauit.

Sublicium pontem defendit Horatius vnus,
Historciisque modum laudis abundè tulit:

Palma

Palma tamen maior quam fert Conradus ab hoste
Cum quo de Christi Corpore pugna fuit.
Hetruscas acies hic reppulit vrbe Quirini:
Tartaream nostris mentibus iste luem.

CONSTANTINVS à MONTE S. SAVINI, Episcopus primùm ciuitatis Scalæ (quæ à Melphi, vbi ossa S. Andreæ condita sunt non longè distat) deinde per Gregor. XIII. Pont. Max. Ecclesiæ Cortonensi in Thusciâ Præfectus, operibus scriptis rẽ Christianam auxit, dignis illis quidem lectu, vt fertur, at quę nondum mihi contigit videre.

CORNELIVS LANCELOTVS Mechliniensis, S. T. D. edidit *Nectar & Antidotum*, confectum ex medulla Operum S. Augustini, digestum ordine alphabetico, contra quosuis sectarios.

Item *Pancarpium Augustinianum* continens vitam S. Augustini, Monicę, Nicolai Tollentinatis. B. V. M. Encomium, & Sodalitatis corrigiatæ *della Consolacione*, priuilegia, cum *Tractatu de Indulgentijs*, & quibusdam parergis.

DESIDERIVS PARODIVS Genuensis Theologiæ, & Iuris Pontificij scientiâ celebris duos edidit *Tractatus*.

Alterum de *Paghis*, vt vocant, hoc est, *de solutionibus quæ fiunt in Monte S. Gregorij Genuensis*.

Alterum quo docetur, *quonam modo homo cum Deo viuere possit*.

Primus incipit. *Non possum non dolere.*

Secundus. *Omnis homo, qui illam ineffabilem vitam.*

Hi libri vnà cum Tractatu de Cambiis Ioannis Baptistæ Signorii Genuensis, in gratiam suorum ciuium

ciuium conſcripti, Genuæ in Cœnobio S. Auguſtini aſſeruantur. Ioſeph Pamphil.

Eſt Deſiderius cognominis vnus, & alter:
O quantum cœlo dignus hic, ille ſalo.

DIDACVS à STVNICA Hiſpanus Salmanticenſis diuinis ſcripturis fuit eruditiſſimus, ac Hebraicarum, & Græcarum & Chaldaicarum literarum peritiſſimus.

Edidit tres libros *de vera Religione.*

Item *Comment. in Zachariam Prophetam.*

Comment. quoque in Iob, quibus eius triplex editio vulgata, Latina, Hebræa, & Græca ſeptuaginta Interpretum, nec non & Chaldæa explicatur.

Quid mirum? ficti tria corporis vnius ora?
Rarus an iſte triplex vnius ore ſonus?

DIDACVS, ſiue IACOBVS PEREZ Hiſpanus à Valentia Epiſcopus Chriſtopolitanus, & doctrinâ & ſanctitate præclarus, in omnem ætatem perpetuum ſibi nomen acquiſiuit. Is ille eſt qui in *omnes pſalmos Dauidicos magna* edidit Cōmēt. *allegoricis & ananogicis ſenſibus referta, & multis variarum ſcientiarum digreſſionibus plena.*

Exſtant ipſius quoque luculentæ *expoſitiones in Cantica officialia* nempe *Benedictus, Magnificat, Nunc dimittis. Gloria in excelſis. Te Deum laudamus, & Quicunque vult ſaluus eſſe.*

Acceſſit ad hæc *Tractatus contra Iudæos.*

Eiuſdem item *Expoſitio in Cantica Canticorum.*

Item *Quæſtionis finalis diſcuſſio:* Vtrum ſolus Chriſtus ſit metrum, & menſura, & largitor omnium bonorum & reparator humanæ Naturæ.

Hæc omnia impressa sunt Parisijs & Lugduni. Claruit anno Domini 1468.

Terram Terra tegit: pars nescia mortis, olympo
Redditur: in mundo splendida fama volat.

DIMALDUTIUS FOROLIVIENSIS, Vir tam diuinis, quam secularibus litteris imbutus, scripsit insigne Volumen

De *Resurrectione mortuorum* Bartholomęo Capuano Regis Siciliæ Primicerio dicatum, incipit. Nolumus vos ignorare de dormientibus.

Scripsit quoque *Tractatum de septem Sacramentis Ecclesiæ.*

Item *Sermones super Euangelia dominicalia totius anni.* Virgam virtutis tuæ.

Sermones super Epistolas Dominicarum totius anni. Fili suscipe sententiam patris.

Sermones Quadragesimales super Epist. & Euangelia.

Sermones de festis totius anni. Corde creditur ad iustitiam.

Sermones ad Clerum. Ille arguet mundum de peccato.

Hæc omnia asseruantur Bononiæ in Biblioth. nostra S. Iacobi.

Mentis opus tantum quid docta Bononia condis?
Ignota nil dant vtilitatis opes.

DIONYSIUS è BURGO SANCTI SEPULCRI, natione Hetruscus, ob doctrinæ pręstantiam, quam insigni cum pietate copulauerat, summo in honore habitus, ac præsertim propter artes, Oratoriam, Poëticam, historicam, quas humanissimè alios edocebat, carus omnibus fuit: huius sunt Comment. docti & elegantes.

In Valerium Maximum.

In libros Metamorphoseon Ouidij.

In Virgilium.

In Tragœdias Senecæ, atque adeò in libros Politicorum & Rhetoricorum, & in Poëticam Aristotelis.

Edidit *Postillam in Epist. Pauli ad Rom.* quę Florentiæ exstat in Biblioth. S. Spiritus.

Neapoli verò, vbi fuit Roberto Regi acceptissimus, obiit.

Quem magnopere laudauit Franciscus Petrarcha carmine ad eum misso, quod incipit: *Si nihil aut elidi facies.*

Et *Epistola* ad Robertum Siciliæ Regem, de obitu Dionysij.

Pleraque verò huius opera Mediolani in Biblioth. S. Marci apud Augustinianos asseruabantur.

In tumulo nascor, sacraq; renascor eremo,
In gremio morior Parthenopaia tuo.
Non omnis morior, post funera viuus inerro,
Et mea scripta volant docta per ora virûm.

DIONYSIVS COLLENSIS natione Hetruscus, pietate, & litteris exornatus, Edidit

Librum de arte Sermocinandi.

Item *tractatum de Morte*, in cuius fermè omnibus capitibus incipit: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.*

Scripsit etiam *libellum de pulchritudine pacis:* incipit *Distinguit Beatus Augustinus.* Claruit anno salutis CIↃ. CCCC.LXX.

DIONYSIVS FLORENTINVS qui in Academia Bononiensi Philosophiam Aristotelicam longo tẽpore professus est, scripsit in *Aristotelis libros, qui Parua*

Natu-

Naturalia nominantur, *Commentarios*, qui custodiuntur Pisauri in monasterio Ordinis.

DIONYSIVS è MVRCIA Archiepiscopus Messanæ Siciliæ Vrbis, qui in Academia Parisiensi, vbi Doctoris suscepit insignia, Theologiam prope annos decem professus est, edidit

In libros Sent. doctissima Comment. Scripsit quoque *notabiles Sermones*.

DIONYSIVS à SIGILLO, quod oppidum est in agro Perusino, Theologiæ illius, quam Ægidius Romanus methodo tradidit interpres ac imitator præcipuus, annos complures in Academijs nostræ religionis propalam docuit: è cuius disciplina perinsignes discipuli prodiere, scripsit

In *AEgidij opera doctas, & accuratas annotationes*, eiusdem Ægidij doctrinæ sequacibus impensè gratas. Obijt Perusæ an. Domini 1575. in Ecclesia S. Patris Augustini sepultus.

DIONYSIVS VASQVEZ TOLETANVS Sacræ Theologiæ Magister, in Hispania, & in Italia, Romæ præsertim mirificè claruit. Is summo ingenio, & prudentiâ præditus, inque sacrarum litterarum studijs atque optimis artibus longo vsu exercitatus, ea quæ sciri sine summâ difficultate à multis non possunt, verbis adeò appositis construebat, planaque atque euidentia reddebat, vt imperita quoque plebes eius à Concionibus, non tantum piè affecta, sed etiam docta discederet. Hic quadam die Romæ cum perorasset coram Leone X. Pont. Max. & Cardinalibus, pedesque Pontificis (vt mos est) oscularetur, Pont. ad Cardinales & ad alios proceres conuersus quâdam admiratione dixit; *Putabam Dionysium esse in cælo*,

& nihilominus vidi illum hodie in terra. Compluten-
Academiam in Regno Toletano multis annis
, ibique sacras litteras explanauit.

ripsit *in Euang. secundum Ioannem.*

Beati Pauli ad Rom. Epistolam. Obijt Toleti anno
mini 1539.

e eodem in hac verba Antonius Possevinus è Societate Iesu.

Dionysius Vazquez à Toleto, in Hispania,
a, & præsertim Romæ celebris. Quem Leo X.
t. Max. Cæsari Carolo V. volens gratificari, mi-
iac in litteris præfatione orsus: *Mittimus tibi alte-*
E liam: Quare ab eo tempore Pontificius & Cæ-
us Concionator fuit appellatus. Cur verò Euã-
ij Ioannis enarratio, & alia ipsius monumenta,
à viris doctissimis inter pretiosa Bibliotheca-
n suarum volumina manuscripta asseruantur,
is hucusque excusa non sint, hanc affert causam
seph Pamphilus, quòd cum Hispanis Diuinam
ripturam exponeret, linguâ Hispanicâ quamplu-
na pronunciabat, & tantâ venustate atque elo-
ientia Latino idiomati eam intermiscebat, nemo
fuerit ausus aut totum Latinè opus, aut totum Hi-
anicè pro dignitate reddere. Erat enim ille in v-
âque linguâ facundus, & Græci Sermonis non
nperitus. Multæ eius conciones Hispanico idio-
iate circumferuntur viris doctis vtiles. Obijt Tole-
i anno Domini 1539. die ipsâ Sanctissimæ Trinita-
is, quam diem multò antea vitę suæ fore extremam
lerisque prædixerat. Oraculum Summi Ponti-
icis.

Cernua Pontificis Dionysius oscula plantis

F *Cum*

Cum daret: admirans rettulit ore Leo:
Hactenus est nobis cælo Dionysius esse
Creditus, in terris hunc tamen intueor.

DONATVS MARRA è Beneuento Theol. laude præstans *Enarrationes* scripsit optimas in Hymnos omnes qui cantantur in Ecclesia secundum morem sanctæ Rom. Ecclesiæ, & secundum ordinem Breuiarij Tridentini, nec non Religiosorum Ordinum SS. Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, & Carmelitarum. Neapoli apud Horatium Saluianum impressas, & Thadæo Perusino Priori Generali dicatas. Edidit quoq; nonnulla egregia *Poëmata*. Vixit anno 1575.

EVANGELISTA BOSSIVS Patauinus Vir cum paucis eruditus edidit *Theologica Theoremata*, & alia quędam.

EVANGELISTA QVATTRANVS Eugubinus edidit

Librum contra Alchimystas.
Item & *Librum de Peste.*

EVGENIVS PISAVRENSIS Theologus, & Concionator egregius, Claruit in Tridentina Synodo, vbi Dominica III. Aduentus Domini, habuit Orationem ad Synodum, & in frequenti Concilio, sacræ Quadragesimæ tempore, Conciones celeberrimas, ac gratissimas. Hunc præ alijs multis elegit Guido Ferrerius Vercellensis Cardinalis amplissimus, vt sibi esset à conscientiæ colloquiis, suęque domui Theologiæ Doctor & Lector. Creatus deinde Smyrnensis Episcopus, & Veliternorum Propręsul, consumptis Velitris quinque & amplius annis, è vitâ

vita decessit die 21. mensis Iunij 1580. Et in Ecclesia cathedrali sancto Clementi dicata sepultus iacet.

Donec erit magnæ Synodi prælustris in vrbe
Gloria, cum Synodo tu quoq; clarus eris.

FABIANVS CLAVARIVS Genuensis Ord. Procurator, ac S. Matthæi Genuæ Abbas, Vir admodum Religiosus, & Theologicis & secularibus disciplinis impense doctus, scripsit sermone scholastico

Librum de Cambijs vtilem & necessarium iis, qui rectè numerariam siue Campsoriam artem cupiunt exercere. Vixit anno 1558.

FACINVS ASTENSIS, cognomento LONCOBARDVS, laudatur, quod in Magistrum Sentent. & libros Aristotelis doctas *quæstiones* ediderit: quæ extant Mediolani in Biblioth. S. Marci. *Quæstiones* autem ipsius in libros Physicorum fratribus eius Bononiæ dicatæ, non vno in loco asseruantur. Bononiæ præsertim in Bibliotheca D. Dominici. Viuebat anno 1400.

FELIX PRATENSIS genere Hebræus, in paucis Rabbinus prçstantissimus, postq; conuersionem Romç Diui Aug. Ordinem amplexus, tantum in nostro instituto promouit, vt inter omnes Doctores Theologos, similem suo tempore habuerit neminem.

Psalterium ex Hebraica Veritate, in Latinum transtulit Venetiis primum, deinde Basileæ excusum anno 1524. Cum Argumentis in singulos Psalmos, & piis aliquot canticis. Quam versionem posteri vt veriorem suis sæpe in lucubrationibus citant, præsertim Matthæus Aurogallus in libro de

Hebraicis nominibus, & Franciſcus Titelmannus in Expoſitione pſalmorum.

Tranſtulit quoque *Librum Iob.*

Romæ prope centenarius mortuus eſt die V. Nouembris an. 1539. & in templo S. Auguſt. ſepultus iacet.

O felix nimium! qui dura lupata peroſus,
Non dubitas Chriſti nobile ferre iugum.

FERDINANDVS ZARATTE Sacræ Theol. Doctor in Academia Oxonieſi Cathedraticus, ac ſacrarum litterarum Profeſſor.

Edidit librum *de Patientia Chriſtiana.*

FRANCISCVS à CHRISTO, Luſitanus, Sacræ Theol. Doctor eximius, eiuſdemque publicus in clariſſima Conimbricenſi Academia Profeſſor, linguarum variarum peritus, ingenio præſtans, ac diſertus eloquio, in lucem miſit *Prælectionem* ſiue *enarratione admirabilis diuini Verbi Incarnationis* libros ſex Henrico Portugaliæ Infanti, ac S. R. E. Cardinali dicatos, & Conimbricæ in officina Ioannis Aluazez Typographi Regii impreſſos. In quibus omnia quæ à Theologis, de hoc abditiſſimo myſterio ſubtilius tertio Sent. libro diſſeruntur, accuratiſſimè tractantur, & lucidiſſimè explicantur. Claruit anno Domini 1568.

A Chriſto Franciſcus habet; mirúmne diſertâ
Si reſonent linguâ pulpita, clauſtra, viæ?

FRANCISCVS è NERLI florentinus Theolog. ſcripſit

Summam de rebus diuinis.

Item *librum de Virtutibus & vitiis.*

Hic Nerlius primus omnium Theol. auctoritate

ate Collegii Florentini, Doctorum Insignia, cum otius Senatus ac populi applausu in Diuæ Reparaæ ædibus est adeptus. Claruit anno Domini CIↃ. ↃCCC.XL.

FRANCISCVS PISANVS, Vir summo ingenio, & n Sacra Theol. aliisque optimis artibus exercitatisimus, quas Pisis in publico Gymnasio professus est, juamplurimis scriptis Ecclesiam Cath. illustrasse ertur: quæ tamen typis nondum commissa fure.

FRANCISCVS RICHARDOTVS natione Burgundus Augustinianus, Vir ab ingenio, à doctrinâ, à pietate & mirifica dicendi docendique facultate maximè commendatus, Parisiis primum, postea Bisanti, denum primus omnium Duaci Academia indidem aperta, Theologiam summo fructu, & applausu interpretatus est. Ob raram eloquentiam, ad augusta pulpita, & ad augustiores suggestus, & ad publica rerum bene gerēdarum munia passim fuit euocatus. Idem plurimos deuios, & præ ceteris, insignem quendam Ministrum Duaci à nefaria hæreseos lue, ad gremium S. Ecclesiæ reduxit. Tandem ad Episcopatum Atrebatensem euectus, bene de diœcœsi meritus, eam ab hæreticis vindicans & Concionibus frequentibus confirmans, forma gregis factus fuit.

Habuit *Orationem* in Synodo Cameracensi anno 1565.

Edidit *Sermones de Sanctissimo Sacramento altaris.*

Et *de Imaginibus, Louanij* anno 1567. typis editos.

Instructionem Pastorum typis excusam anno 1567.

Tractatum de Controuersijs Louan. 1568.

In Concilio Trid. doctam habuit elegantemque *Orationem* Louanii excusam.

Item orationem funebrem habitam Gandaui in exsequijs Henrici II. Gallorum Regis.

Extat & huius *Oratio funebris* in Caroli V. Imperatoris obitum. Laudauit & alios Proceres complures diuersis locis.

Eiusdem *Oratio in* inauguratione Academiæ Duacensis.

Sex *sermones super Orationem Dominicam*.

Et quatuor *de Incarnatione verbi Dei*, super Missus est.

Richardote tuum meritò caput infula vestit,
Richardote tui forma decora gregis.
Gallica Musa audis, audis quoque Belgica Musa;
Nosque iuuat de te dicere, noster erat.

Alius

Diuitis ingenij Franciscus dote celebris,
Prima Duacenis conscendit rostra Lycæi,
Eloquio clarus, doctrina nobilis, alma
Vt Fidei vindex, sic mastix hæreticorum.

S. FVLGENTIVS natione Afer patriâ Carthaginensis Ord. S. Augustini (vt est apud Baronium lib. 6. anno 504. n. 34.) qui non tam ob generis nobilitatem, quàm eruditionem, & vitæ sanctitatem refulget, Ruspensis in Africâ Episcopus, idemque Theol. eloquentissimus, tam Græco quàm Latino instructus eloquio: Cum in Arianorum gratiam Vandali per totam Africam Catholicos cædibus & exilijs affligerent, illorumque templa clauderent, ipse quoque in Sardiniam cum reliqua Episcoporum turba, à Trasimundo exulatum missus, nihil prætermisit eorum, quæ ad veram Christi fidem pertinent docendo, prædicando, & monendo. Edidit,

De

De Spiritu sancto interroganti presbytero Arbagilæ, *plura testimonia*. Sed & è Sardinia Insulâ ad quam Trasimundo vrgente, rediit, scripsit Carthaginensibus *Epistolam* sublimis argumenti, qua dolos aperuit, quibus infelices animæ seducebantur vsque ad mortem. Ceterùm & sunt ipsius

De remissione peccatorum consulenti Euthymio duo libelli, quem docuit cupientem noscere *prædestinationis, & gratiæ differentiam*.

Familiares, sed *Spirituales Epistolæ* Romanis præcipuè Senatoribus, viduisque ac virginibus.

Ad Probam virginem, *de Ieiunio, & Oratione* libelli duo desiderantur. Sed exstant Fulgentij ad eandem Epistolæ duæ; quarum prima inscribitur

De virginitate atque humilitate.

Secunda, *de Oratione, & compunctione cordis*.

In varios Diuinæ Scripturæ locos nobile *sermonum volumen*, è quibus duo habentur in Homiliario Albini.

De libero arbitrio, & gratiâ Dei, libri septem.

De veritate item prædestinationis alius. Sed & habuimus ex eo altercationem cum Trasimundo Rege; ac de duplici prædestinatione ad Moniminum libros tres, de quibus supra.

In cuius operis præfatione conqueritur de calumniatore, qui erat apud Carthaginem, quem licèt ille nominare noluit, eius tamen discipulus in vita ipsius Fabianus appellat. Porrò etiam scripsit,

De Continentiâ coniugali.

De pœnitentia ad Venantium.

De fide ad Donatum.

De Sacramento Incarnationis.

De abstrusis Sermonibus.
De immensitate filij Dei.
De Sanctâ Trinitate.
Ad felicem Directum Notarium.
Aduersus Hæreses, Arianam, & Pelagianam.
De Mysterio mediatoris.
Ad Ferdinandum quoque Ecclesiæ Carthaginiensis Diaconũ, de interrogatis Quæstionibus libellum misit.

At in libro de Incarnatione verbi, & gratiâ, & libero arbitrio, pulcherrima illa sententia est. *Duorum magnorum luminarium, Petri scilicet, Paulique verbis tanquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi caput est, tenet & docet Ecclesia, totusque cum eâ Christianus Orbis, & ad Iustitiam nihil hæsitans credit, & ad salutem non dubitat confiteri.*

At Sigebertus in Catalogo inquit: *Ne videar humana miscere Diuinis, non commemorabo Sacris memorabile huius viri opus, qui totum opus Virgilij ad Physicam rationem referens, in luteâ quodammodo maßa, auri metallum quæsiuit, & repertum excoxit.*

Quod autem eius operibus Basileæ anno Domini 1566. simul editis adtextus sit *liber Mythologiarum*, is non Fulgentij Afri Ruspensis Episcopi, sed alterius Fulgentij esse videtur, cum materies illa, & stylus Fulgentij, de quo loquimur, grauitatem non sapiat. Obijt primâ die mensis, & anni 529. Qui dum vixit, Ruspa eius ciuitas fuit incolumis, quoniam vita eius murus fuit ciuibus, quamuis tractus Ruspensis circumquaque à Mauris vastaretur. Vide eius acta apud Laurentium Surium, ad diem primam Ianuarij, quæ ipsius contubernalis posteris reliquit.

Ab Exilio euocatus, cum Ruspensem viginti

ſex annis rexiſſet Eccleſiam, abiectâ curâ Eccleſiaſticâ in Circinnâ Inſula diem feliciter clauſit. Claruit anno Domini 500.

Si nomen ſpecto, fulges; ſi ſcripta reluces,
Si famam, ſplendes, ſi bona ſumma, micas.

Inſigni pietate, ſanctitate,
Vita, moribus, eruditione,
Virtutum radijs, in orbe poſtquam
Clarè fulſerat, vt Smaragdus inter
Lapillos, ſuperâ repoſtus arce
Iam FVLGENTIVS *inter aſtra fulget.*

GABRIEL DVRATELLVS ANCONITANVS, vir diuinis litteris, & Philoſophia tam Academicâ, quàm Peripateticâ egregiè inſtructus, eaſdem in noſtri Ord. Academijs publicè docuit. Edidit

In ſeptem pſalmos pœnitentiæ comment. ſermone claro & ornato.

Item elaborauit multum, in conciliatione locorum Platonis & Ariſtotelis, tandemque librum conſcripſit, cui titulus eſt. *Præcipuarum Controuerſiarum Ariſtotelis, & Platonis conciliatio*, Venetijs impreſſum. Claruit anno Domini 1560.

GABRIEL GAROFOLVS SPOLETINVS, Italus natione, Theol. egregius ac diuinarum litterarum ſcientiſſimus, inque adhortando è ſuperiore loco populum eloquentiâ pollens ſingulari, ſcripſit

Aduersùs Hæreſes libros tum vtiles, tum neceſſarios.

Aduersùs quoque Fraticellorum ſectam peſtiferam.

Pro Eccleſia Catholica ſcripſit Tractatus plurimos & celeberrimos.

Item *sermones in Euangelia, quæ in ferijs quadrag. Dominicis aliÿsque festis recitantur.*

Vixit anno Domini 1430. Spoleti in templo nostro S.Nicolai sepultus iacet.

Sensu non satis vno, & orthodoxo,
Dogma nescio quod graue, ac pudendum
Ructabant mala turba, Fraticelli,
Molestè id Gabriel Spoletus audit,
Et cellis, modicisque Fraticellos
Cancellis rationis intus arctat
Vetans longiùs ire Fraticellos.

GALFRIDVS GRANDEFELT Anglus, tempestate qua vixit, famâ clarus fuit. is (vt narrat Thomas Colbius) Northamprotensis Cœnobij in Mediterraneâ Insulæ Regione alumnus, Cantabrisiæ Theologorum albo adscriptus, Romam veniens, à Benedicto XII. Pont. Max. Episcopus creatus, in Angliam remissus, scripsit,

Sermones Dominicales lib. 1.
Lecturas Theologiæ lib. 1.
Determinationes lib 1.
Epistolas ad diuersos lib. 1.

Northamptone obiit. Floruit anno 1370.

Semina diffeuit tua quondam industria, grandi
Fœnore diuinus quæ dare sueuit ager:
Collegitque tuam lætata Britannia messem,
Angelus vt fieres, qui priùs Anglus eras.

GALFRIDVS HARDEBVS Anglus Doctor S.Theol. ac Religionis suę defẽsor acerrimus (Thomâ Golbio teste) Philosophicis disciplinis apprimè excultus, in Academiâ Oxoniẽsi Theol. & vtriusq; testamẽti libros publicè magnâ cũ laude est interpretatus, habitus-

bitusque fuit inter doctissimos illius Academiæ quam famam auxit Prouincialis dignitas ; quodque Etwardo Anglorum Regi, id nominis III , non ab auriculari confessione solum, verumetiam à consiliis esset. Æternitati hosce partus mentis suæ consecrauit,

De Vita Euangelica lib. 1. Vbi in fine duas quæstiones ad nostrum Ord. pertinentes tractat, & determinat.

Alteram *num Ordo Eremit. S. Aug. sit per Rom. Ecclesiam confirmatus.*

Secundam, *num Diuus Aug. dicti Ord. Eremit. S. Augustini fuerit pater atque frater.*

Item scripsit *de Perfectione Euangelicæ Paupertatis.* Libros duos contra Armacanum , qui dicebat *Turpe esse Christianis, sua sponte mendicos esse.*

Præterea *Quodlibeta Oxonientia* lib. 1. Memorabilia Philosophorum studia.

Ordinarias Quæstiones lib. 1. Vtrum ad vniendam.

Determinationes lib. 1. Propter vtilitatem scientiarum

Lecturas in Vetus Testamentum libris pluribus.

Lecturas in Nouum Testamentum lib. plur.

Postillas scripturarum lib. 1.

Sermones de Tempore lib. 1.

Sermones de gestis lib. 1.

Londini demum in Ecclesia Ord. sancti Augustin, sepultus iacet. Claruit an. Domini 1370.

GASPAR AMMONIVS Theol. Doctor, Prouinuincialis Præses Augustinianæ familiæ quæ est in Prouinciâ Sueuiæ, multarum linguarum, præsertim peritiâ linguæ Hebraicę celeberrimus: quo etiam in Ger-

Germania complures, qui ab eadem lingua famam acceperunt, vsi sunt Præceptore, Scripsit

Grammaticam Hebraicam in quinque libros distinctam.

De litteris Syllabis, & Punctis omnibus.

De Nomine prima Parte Orationis cum Pronomine,

De Verbo & Participio secunda Parte Orationis,

De Consignificatiuo Quadruplici tertia Parte Orationis,

Et omnium inter se trium partium constructione & Regimine.

De Prosodia, id est *de triplici Accentu, & Carmine componendo.*

Singulis libris sua capita cum argumentis præponuntur. Claruit anno 1517.

Saeua peregrinos mirari terra suëuit
Fundere quos solitus Gaspar ab ore sonos:
Atque ait: Aut linguam genius tibi flexit Hebraus,
Aut natura graui victa labore fuit.

GASPAR CASALIVS Lusitanus Episcopus Leiriensis, postea Conimbricensis, atque antea Ioannis III. Lusitaniæ, & Algarbiorum Regi à Consiliis, eidemque à secretis confessionibus, & Regij Senatus (de Conscientia, vt vocant,) Præfectus, vir præter morum integritatem, ingenii præstantiâ, diuinarum atque humanarum cognitione supra morem excultus, Edidit

De Cœna & Calice Domini quoad laicos & clericos non celebrantes, libros tres ad Pium IV. Pont. Max.

Item *de Vsu calicis* lib. 3.

Axiomata Christiana lib. 3.

Conscripsit præterea lib. vndecim, *Quadripartita Iustitia* nuncupatos, tomis quatuor admodum distinctos.

In

In quibus omnium Theologorum conquisitis, excussis, probeque digestis sententijs, Orthodoxa de Iustificatione nostra fides asseritur & Hęreticorum errores eliduntur. Hæc omnia fuerunt Venetiis, & alibi impressa.

Fertur priusquam esset Episcopus egregiè scripsisse *in Prædicamenta & libros Topicorum Aristotelis.*

Claruit in sacra & OEcumenica Synodo Tridẽtina, quæ eum Christianè doctéque disserentem, saluberrima in medium consilia afferentem, & medicamenta, quæ subortas quasdam animorum pestes amoliri possent, commonstrantem, non semel audiuit, meritisque laudibus est prosecuta.

Hinc honor, hinc pietas, rapit inde scientia mentem:
Hæc tria mirari mens satis vna nequit.

GASPAR MELIVS natione Hispanus, primarius inter suos Professor, cùm diuinarum litterarum, tum Aristotelicæ doctrinæ peritissimus, ingenio summo, & ad disserendum quauis de re mirè prompto, se vixisse ostendit

Commentarijs in 4. Euangelistas.

Commentarijs in Apocalypsin.

GEORGIVS MAIGRETIVS Belga Bullonensis S. T. Doctor Louaniensis edidit patrio idiomate.

Nouitiatum siue Perpendiculum Vitæ monasticæ pro nouitiorum instructione.

Thesaurum seu Torenma honoris Christi, & SS. in quo declaratur institutio Confraternitatis Centuriatorum sancti Patris Augustini.

Item *Radiolum siue Atomum Vitæ monasticæ, in quo exponuntur fructus & vtilitates, quas percipiunt fideles in religiosorum in vrbes & oppida aduentu.*

Item *Surculos sacros pullulantes è palma Priorum*

sancti

sancti Aug. Martyrum. In quibus continetur Epitome posteriorum dicti Ord. Martyrum cum Iconibus.

Item *Vitam B. Ioannis Saguntini* Ord. S. Patris Augustini Alia plura, vitâ comite, scripta in lucem dabit.

GERARDVS BERGOMENSIS Vir immortali laude dignus, cùm litterarum stadium decurrisset, ad maiores disciplinas animum appulit, quas optime consecutus est: sed præsertim Canonici iuris doctissimus euasit. Mox Parisiis Doctoris insignibus acceptis, indidem Cathedram Theologicam tenuit, ac Magistrum Sentent. explicauit. Post hæc, Clemente VIII. regente Ecclesiam, Sauonensis vrbis creatus est Episcopus: qua in vrbe, boni Pastoris functus officio, ac prodesse magis quàm præesse quærens, cum pestilitas longè lateque grassaretur, ingenti caritate populo S. Sacramenta ministrauit. Idemque Cœnobium Augustinianum quod extra muros erat vrbis, intra mœnia recepit; doctrinæ suæ monumenta reliquit

In sextum Decretarium de Relig. domi. lib. 1.
Super libros Sent. lib. 4.
In Cantica Cant. lib. 1.
In Epistolam ad Hebræos lib. 1.
Concordantias Epist. Pauli cum Salomone.
Concordantias noui cum veteri Testamento.
Quodlibeta duo lib. 1. & alia

Mortuus denique non sine magno sanctitatis nomine, Bergomi in Ecclesia Ord. iuxta altare maius sepulchro à se exstructo sepelitur, vbi etiam (Volaterrano teste) beatorum honoribus colitur. Claruit anno Domini 1340.

Fertilis

Fertilis hic laudum seges est: quid semina quæro?
Ampla seges laudum sit mihi sola LVES,
Quam cum despiceret, toties occumbere certus,
Hi modo ne pereant, nos moriamur, ait.

GERARDVS SENENSIS Ægidij Romani doctrinam est secutus, eamque methodo tradidit. In vtroque iure plurimum vsu longo excelluit, ac sacris litteris non vulgariter fuit doctus. eum Ioannes Andreas Bononiensis eius æqualis propter eruditionem valde suspexit, deque eo magnificè sæpenumero fuit locutus. eius est

Lectura in primum Sent. lib. vno, opera Patrissantis Ariminensis Rectoris Collegij nostri Patauiensis in lucem edita est, & Illustrissimo ac Reuerendissi. Domino Ludouico Madruccio Principi Tridentino S.R.E. Cardinali dicata anno 1598. Pataui apud Pet. Paulum Tozzium.

Lectura in 2. Sent. lib. 1.
Lectura in 3. Sent. lib. 1.
Lectura in 4. Sent lib. 1.
De Contractibus & Vsuris lib. 1:
De Montibus Florentinorum lib. 1.
De Restitutione lib. 1.
Quæstiones ad Episcopos Generaliter pertinentes lib. 1. *ad Episcopum Serensem.*
De Præscriptionibus lib. 1.
De Vsucaptionibus lib. 1.
Clementina de hæreticis
De Begardorum Erroribus
Quæstiones Quodlibeticæ
Tractatus de Principio Indiuiduationis ad mentem Ægidii
Quæstiones de Intellectu agente. Hæc duo Patauij ser-

ſeruantur. Claruit anno Domini 1340.

Virtuti doctrina comes tibi docte Gerarde
Ad famam, & ſuperos perbreue ſtrauit iter.

GREGORIVS ALEXANDRINVS Theol. tantum in Sacris concionibus, famæ ſibi peperit, VT ALTER APOSTOLVS diceretur. Qui inter cetera doctrinæ ſuæ monumenta *Sermones* elegantes atque copioſos reliquit, ſuntque *Conciones in Quadr. & Feſta totius anni* duobus voluminibus diſtinctæ. Claruit 1440.

Alter ab eloquio, qui fertur Apoſtolus eſſe,
An ſatis, vt taceam cetera, laudis habet?

GOTSCALCVS aliàs GODESCALCVS HOLLEM Germanus, Vir multum religioſus, ac in omni facultate promptus, ſacrique eloquij præco celeberrimus

In decem Præcepta longos ſcripſit *Comment.* qui *Præceptorium diuinæ legis inſcribuntur*

Item *Sermones Dominicales*. Claruit anno Domini 1500.

Mox tibi conſtabit proprio doctrina nitore,
Et faciam, quò te ſæcula terſa legant.

GREGORIVS ARIMINENSIS vniuerſæ Auguſtinianæ Religionis Antiſtes Generalis, ad diuinarum litterarum inſignem cognitionem, etiam Philoſophiæ Scholaſticæ vberem ſcientiam adiunxit, mirifique ingenij & eloquentiæ præconia in almâ Pariſienſi Academia ab vniuerſis reportauit. Eum poſteritati notiorem fecerunt hæc eius ſcripta

Super primum Sent. lib. 1.
Super ſecundum Sent. lib. 1.
Super tertium Sent lib. 1.
Super quartum Sent. lib. 1.

Super

Super omnes diui Pauli Epistolas lib. 14.

In Epistolam Iacobi Comment.

Sermones de Tempore.

Sermones de Sanctis.

Tractatus de Vsuris.

Tractatus de Intensione, & Remißione Formarum.

Tractatus de moribus Venetorum.

Tractatus de Conditionibus Florentinorum.

Decessit Viennæ Austriæ anno Dom. 1358. In lapide tumuli extat sequens distichon.

Quisquis ades qui morte cares, sta, perlege, plora,
Sum quod eris, quod es, ipse fui, pro me precor ora.

GREGORIVS NVNNIVS CORONEL, genere Lusitanus Theol. nobilis sacrisque litteris apprimè excultus, quem Clemens VIII. Pont. Max. albo Theologorum suorum adscripsit, & Congregationi quæ *de Auxilijs* Romæ dicta est, interesse vt Censorem, & sententiarum exceptorem voluit, quique hoc Pontifice vita functo, etiam Paulo V. Pont. Max. est percarus, elucubrauit libros decem *de vera Christi Ecclesia*

Item *de optimo Reipub. statu.*

Item *Apologeticum de traditionibus.*

Lumen es & columen fidei, rectiq; Magister,
Firma nec exiguâ nixa columna basi.
Consulis in medium, Responsaque sana ministras:
Nempe facis, per te, crescat vt Vrbis honos.

GREGORIVS PATAVINVS, ita cum Sacræ Theol. studijs scietiarum reliquarum supellectilem, & eloquentiæ ornamenta coniunxit, vt Romæ, vbi plures coram sanctissimo Senatu habuit Orationes, ingentem sibi sapientiæ & eloquentiæ gloriam compararauerit. Clarus fuit in Concilio Trident. sub Pont.

Max. Paulo tertio. Romæ in Academia quam (Sapientiam vocant) diuinas litteras docuit. Scripsit *Orationes aliquot* Romæ & alibi habitas. Decessit Romæ die 27. Augusti 1555. in templo sancti Aug. sepultus.

GREGORIVS DAINEFVS Leodius *Epitomen Historicam vitæ monasticæ S. Augustini, vnà cum institutione eiusdem familiæ, antiquitatis, & continuatione eiusdem, à Ioanne Gonsalez de Critana factam, latinitate donauit.* Antuerpiæ M.D.C.XII. apud Hier. Verdussium.

GVALTERVS ANGLVS cognomento INCLVSVS, cum à pueritia bonis artibus animum excoluisset, grauiores disciplinas quæ ad Deum spectant, est aggressus, in quibus fructus adeò vberes fecit, vt maximo fuerit vsui atque emolumeno discipulis, qui ex eius disciplina complures excellentes doctrina, ac spectabiles euasere. Scripsit iam ab hominum societate remotior, atque anachoreticæ vitæ cultor effectus

De mundi Contemptu lib. 1.
De Vita solitaria lib. 2.
Meditationum lib. 1. & alia.

Huius quædam scripta redegit in compendium Richardus Lauinham Carmelita, vir eruditus. Eiusdem Gualteri precibus concessit Honorius IIII. Pont. Max. vt monasterium Augustinianum Parisijs loco magis opportuno, quàm fuerat antea, nobis exstrueretur.

Quære, licet, latebras, & densa repagula quære;
Exsiliet septis prodita fama tuis.

GVICHARDVS à LESSARD Patricius Lugdunensis, Episcopus Hierapolitanus Philosophus & Theolog. fuit insignis, cuius extant nonnullæ in genere

Lau-

Laudatiuo Epistolæ, quas Symphoriano Camperio Lugdunensi, Medico, & Philosopho celeberrimo scripsit. Vixit anno 1510.

GVILIELMVS ALATZHEN Coloniensis, vir inprimis doctrinâ ac eloquentia clarus, Prouinciali consilio quod Coloniæ ab Adulpho Archiepiscopo celebratum fuit, multum profuit auctoritate, consilio, ac prudentiâ. Libros aliquos scripsisse fertur: at, vt est multarum rerum ignorantia, & temporum iniuria, aut perijsse, aut delitescere credendum.

GVILIELMVS ANGLVS (qui vulgo, de Angliâ dicitur) vir pietate, ac doctrinâ iuxtâ exornatus, *librum* scripsit, *qui futura Anglorum mala complectitur*. vixit an. salutis 1370.

GVILIELMVS ANCONITANVS, qui propter sanctitatis, ac doctrinæ opinionem percarus fuit Hugoni Dominicano S.R.E. Cardinali. Edidit *librum de Pœnitentia*, cuius etiam meminit Ioannes Bunderius in Compendio Lutheranæ concertationis, vbi agit de contritione. Viuebat an. 1275.

GVILIELMVS BECCHIVS Florentinus Theol. insignis, anno Domini 1470. à Paulo II. Fesulanus Episcopus creatus est. Is Guilielmus Familia Becchia præclarâ Florentiæ fuit oriundus, & ea conscripsit quibus memoriam sui apud posteros æternam fecit.

Comment. in decem Ethic. Aristotelis libros. incipiunt. Moralem Philosophiam tripartitam.

Comment. in libros Oeconomicorum Aristotelis.

Ad Regem Neap. Postquam Arist. Ethicorum.

Comment. in libros Politicorum Aristotelis. Quemadmodum in prioribus comment.

Interpretatio super primum Sent.

Abbreuiatio Primi Sent. Magistri Aug. de Roma Cum doctoris clarissimi de Roma.

Liber de Potestate Ecclesiastica per modum dubitationis.

Quæstiones itinerariæ, habitæ dum esset Generalis Prior Religionemque inuiseret.

Quæstiones super tres libros Aristotelis de Anima.

De Lege Mahometana lib. 1.

Apologia pro nostro Ordine lib. 1.

Sermones ad Clerum lib.

Item *Sermones ad Populum* lib. Florentiæ obiit an. 1495. ætate decrepita, & in Æde S. Spirit. conditus est.

Laus non ima Viro clara propagine nasci,
Si modò sit Virtus stemmatis ipsa comes.
Ille licet cælo geminis se surrigat alis,
Qui decus hoc geminæ nobilitatis habet.

GVLIELMVS CREMONENSIS cum Ord. sui totius gubernacula annis 17. prudenter tenuisset, à Clemente VI. anno salutis 1343. Nouariensis Episcopus est renunciatus. Fuit in eo viro preter singularem iuris cognitionem, eloquentia admirabilis, & in disputationibus acrimonia. Patris sui Augustini reliquijs Sanctissimis Gardinalitiam postposuit dignitatem. Is enim impetrauit, vt quia non poterat caput corpori, saltem corpus capiti, id est, Augustiniani fratres S. Augustino vnirentur: impetrata iuxta locum, in quo reliquiæ sanctiss. asseruabantur, Papiæ scilicet Vrbe Italiæ fratribus Eremitanis Ecclesiam ædificandi potestate. Reliquit iudicia doctrinæ Ioanne XXII. Pont. Max. sic præcipiente.

De Auctoritate Apostolica librum vnum, cuius titulus Reprobatio sex errorum.

Item

Item *Expositiones super 4. Euang.* lib. 4.
Comment super 4. lib. Sent. lib. 4.
Item *Orationes elegantes* lib. 1.
Item *Sermones* lib. 1.

GVILIELMVS EGVMENDE Anglus Theol. Episcopus Pissinensis, ac Lincolniensi Præsuli Henrico Belfortio à suffragijs, tum famâ, tum doctrinâ fuit illustris, vt in suis Collectaneis Thomas Colbius scribit, qui inter cetera congessit,

Replicationes Scholasticas lib. 1.
Sermones ad Plebem lib. 1. Claruit anno Domini 1370.

GVILIELMVS FLETE, quem ab Angliâ cognominant, quà pietate, quà doctrina Familiam Augustinianam nobilitauit. Scripsit ex Italiâ ad sui instituti Collegas in Angliâ Epistolas tres Christianâ eruditione plenas.

Ad Prouincialem eorum Epistolam vnam. Obsecro in Domino Iesu quatenus.

Ad Doctores Prouinciæ Epistolam vnam. Cum timore Dei.

Ad fratres in communi Epistolam vnam. Ait Apostolus spectaculum &c.

Prædicationes ad Anglos lib. 1.

Epistolas ad Diuersos lib. 1. Habuit donum Prophetiæ. Claruit an. 1380.

Epitaphium.

Hilermi tumulum tristes ne flete Britanni
Nobiliore sui parte superstes obit.

GVILIELMVS GALION Anglus in Nordouolgiæ Comitatu ortus, & in Lymnensi nostro cœno-

bio litteris humanioribus imbutus, ac deinceps Oxonij Philos.& Theologię curriculo feliciter decurso Doctoris est insignia consecutus: tandemque totius Augustinianæ familiæ, quæ tum erat in Insula Britanniæ, Rector Prouincialis est constitutus, tantaque prudentia, pietate, clementiâ Prouinciam sustinuit, vt certatim eum omnes laudarent & mirarentur. Scripsit vir præstanti ingenio, ac pietate

Conciones per annum lib. 2.
Lecturam Theologiæ lib. 1.
Disputationes varias lib. 1.
Claruit anno 1480.

Est aliquid placuisse quibus mandare negatur:
Laus est imperio posse placere suis.

GVILIELMVS FONTANVS natione Anglus Scripsit in 7. Psalmos pœnit.

GVILIELMVS IVNCONVS natione Gallus, patria Tolosa, monasterium suum animi magnitudine, singulari vitæ innocentia, ac doctrinæ fama nobilitauit. Hic inter Theologos recensitus, re ipsa Theologum non vulgarem præstitit. Scripsit

In Euangelia totius anni lib. 2.
De Festiuitatibus Sanctorum lib. 1.
Sermones quinquaginta lib. 1. & alia
Claruit anno 1410.

Quantus es, è scriptis nobis Iuncone probatur,
Fortis vt extremo noscitur vngue leo.

GVILIELMVS SAVONTIVS Tolosanus à puero litteris operam dedit, ac maioribus postmodum disciplinis excultus fuit. Hic in adhortando populum, pro concione magnâ præditus fuit eloquentiâ, eoq; gratior

gratior habita est populo eius Oratio, quod insignē eruditionem venerāda morum grauitas exornaret. Scripsit

Super Sentent. lib. 4.
De Trino & Vno lib. 1.
De Idiomatum differentiâ lib. 1.
De diuersitate rerum lib. 1. & alia Claruit an. Domini 1350.

GVILIELMVS SENGHAMVS, vir omni doctrina politissimus, quam cum egregia vitæ innocentia coniunctam habuit, à Lanfranco Mediolanensi in Britanniam ex Italia missus pro concione Theologicos libros cum laude est interpretatus. eius feruntur opera

De fide & legibus lib. 1.
De claustro animæ lib. 1.
De professione nouitiorum lib. 1.
De tentationum remediis lib. 1.
Annotationum scripturarum lib. 1. Vixit an. Domini 1280.

Anglia me genuit, formauit Roma, recepit
Angliaq; quò caperet, quæ mihi Roma dedit.

GVILIELMVS VERCELLENSIS, Vir eruditus, & egregius Theologus, creatus Episcopus Nicomediæ, quædam edidit quæ desiderantur.

GVILIELMVS VINCENTINVS edidit *Controuersias scholasticas* inter diuum Thom. & Ægidium Romanum.

GVILIELMVS VVELLIS, aliàs FONTANVS, natione Anglus Prouinciæ suæ præfuit, inque Cœnobio nostro Lymnensi famâ celebris exstitit, Hic indefesso

fesso studio litterario ceteris ad diligentiam exemplum se statuit. Quod si cōtentioni huic summæ par facundia respondisset, nę illę apud nonnullos maiore loco fuisset. Verumenimuero id seculi ipsius impolitiei tribuendum est, quo scientiæ, quàm sermonis homines studiosiores fuere. Scripsit

Distinctiones in Psalm. lib. 1. Per abyssum scriptura

Actus Cursorios lib. 1.

Postillationes Euangeliorum lib. 1.

Declamationes vulgares lib. 1.

VVilhelmi calamus, linguâ felicior: iste
Promptius eloquitur, quàm queat ista loqui.

Vixit anno salutis 1421. Lymnæ verò, qua in vrbe fuit celebris, decessit

H

HENRICVS BITVRICENSIS, Theol. & Concionator numerandus in paucis: edidit

Sermones Quadrag. Lugduni impressos. viuebat anno 1410.

HENRICVS BVDERICVS, siue de BVRII vulgò dictus, natione Anglus, vir acutissimi ingenij, quique concionibus ad pietatem inflamare populum solitus fuit, seculo spreto, in Clarensi Monasterio nostris aggregari voluit; apud quos cum litteris & pietati operam nauasset (Colobio teste) varia gentis suæ perlustrauit Gymnasia, ac sapientissimos homines imitatus, ad peregrinas etiam nationes, amore sciendi, adire statuit: tandemque Parisijs est doctoris insignibus ab Academia donatus: Reuersus autē in

in Angliam, Prouinciæ ſuæ gubernacula cum laude adminiſtrauit. Scripſit

Lecturam Sent lib. 4.
Quæſtiones Theologicas lib. 1.
Sermones de B. Virg. lib. 1.
Sermones per annum lib. 1.
Claruit anno 1570.

Pythagoræ ſectatus iter, magniq; Platonis
Fers peregrè, neſcis quæ reperire domi.

HENRICVS GAVDANVS Batauus, Theol. Diuinis litteris inſigniter eruditus: & diſſerendo de ſcholaſticis (vt aiunt) quæſtionibus, longè acutiſſimus, in Gymnaſio Heidelbergenſi conſenſu omnium palmam tenuit. Scripſit

In Primum Sent. Fons hortorum puteus.
De celebratione Miſſarum lib. 1.
Orationes varias lib. 1.
Quæſtiones diſputatas lib. 1.
Claruit an. Domini 1440.

HENRICVS LANCELOTVS natione Belga, patria Mechlinianus S. T. Doctor, Religionis ſuæ zelo ſuccenſus, edidit

Pſeudominiſterium Pſeudoreformantium, hoc eſt de illegitimâ, & prætenſa & ſubreptitia miſſione ſeu vocatione miniſtrorum pſeudoreformatæ Eccleſiæ Lutheranorum, Zuinglianorum, Caluiniſtarum, & Anabaptiſtarum.

Edidit quoque *Exegeſim Theologicam, Catholicam, & moralem, Epiſtolæ Canonicæ D. Iudæ Apoſtoli.*

Promiſit etiam daturum libellum Titulo *Hæreticum Quare*, in quo ad interrogationẽ Hæretici preſ-

se, solidè, ac clarè Catholicus etiam rudis respondebit.

HENRICVS HIVÆVS S.T.D. Tolosanus natione Belga, Cœnobij Brux. alũnus, permisit euulgari *Orationem Panegyricam*, quã habuit in Ecclesia Cathedrali Carcassonensi, dum Ludouicus XIII. Rex Gallorum inaugur aretur. Item libellum pium, quem inscripsit, *Iacula animæ* Poëmata eius sparsim sunt edita.

Fac porrò HIVÆE *vir future maximus,*
Virtute & eruditione compare
Plenis ad alta paßibus laudis vola.
Vixisse te testare non inglorium,
Vixisse non tibi, Rei sed publicæ.

HENRICVS IAVPENVS natione Leodiensis, patriâ Hasselensis, vir de Religione vniuersâ optimè meritus, disertas conciones à se elaboratas Mechliniæ reliquit, quæ in lucem, vti spero, prodibunt.

HENRICVS LANGENSTEYN, vulgò dictus de *Haßia* natione Germanus, vir fuit apprimè tum sacris, tum profanis litteris eruditus, præstantiaque ingenij paucis æquandus. Is annos plures in explicatione libri Genesios cum hæsisset, & absolutissimi interpretis munere functus esset, vix ad caput quartum libri perueniens, totidem volumina compleuit: quod quidem sagacissimi eius ingenij fuit contemplationi dandum. Fuit hic prius VVormaciensis Ecclesiæ Canonicus, quàm Ordinem Augustinianum profiteretur; plurimumque claruit in Academiâ Parisiensi, quæ eum propter doctrinam laureâ doctoris exornauit: deinde in Austriam missus, quod in eâ Viennensis Academię tum primum fundamen-

damenta iaciebantur, tam docendo, quàm ſcribendo ſummam gloriam ſibi ſuiſque comparauit. Ab obliuione vindicant hæc eum ſcripta

Super Sent. lib. 4.
In Geneſin, & Prologum lib. 5.
De Antichriſto & Schiſmate lib. 1.
De Eruditione Sacerdotum lib. 1.
De Contemplatione, & Anima contemplatiua lib. 1.
Speculum Animæ lib. 1.
De Horis canonicis lib. 1.
Contra Aſtrologos lib. 1. Multi Principes.
Super Orat. Dominicam & Salut. Angel. lib. 2.
Super Symbolo Apoſtolorum lib. 1.
De Contemptu Mundi lib. 1.
Contra Fratrem Teleſphorum lib. 1.
Contra quendam VVicleſſicum lib. 1.
Ad Canonicos Regulares lib. 1.
De Proprietate Monachorum lib. 1.
Sermones de Tempore lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1.
Quæſtiones variæ.

Claruit anno Domini 1400.

Tolle manum tabulâ quid docta volumina limas?
Omnis Ariſtarchus iam tibi mutus erit.

HENRICVS DE VRIMARIA natione Germanus Sãctitate iuxta ac doctrina claruit. eius viri laudes, quia præter inſtitutum eſt eas hic recenſere, paucis attingam. Ab ineunte ætate diſcendi ſtudio impensè deditus fuit, otij, & eorum qui comitantur iſtud inanium ſermonum inimicus præcipuus: at in oratione aſſiduus, niſi cum res neceſſariæ auocaſſent. Eius

ius autem frequens hoc velut prouerbium, *inter orandum Deo se loqui: inter studendum, Deum sibi*. Humanitate & beneuolentia in ægrotos fuit maxima, ijsque ministrare ipsemet pro more habuit, ac potiones amariores & huiusmodi ad quæ isti solent nauseare, primus, vt fiduciam faceret, libare solitus. Sacrarum litterarum idem fuit à puero studiosissimus, & Philosophicis disciplinis nulli per id tempus cessit: eũ Parisiensis Academia multis annis sanctitate & doctrina florentem est complexa. Prodidit quamplurima ingenij sui monumenta, quorum hæc circumferuntur.

In libros Sententiarum lib. 4.

In Cantica Canticorum lib. 1.

In decem præcepta lib. 1. Audi Israël.

Flores de collatione Sanctorum Patrum lib. 24. Quia multa prædicabilia.

De perfectione hominis lib. 1.

De Incarnatione verbi lib. 1.

De exemptione lib. 1.

De Expositione Decretalis, Cum Martha.

De celebratione missarum lib. 1.

De quadruplici instinctu lib. 1. Semen aliud cecidit in terram bonam. exstat Venetiis anno 1498. impressus.

Super orationem Dominicam lib. 2.

Super Aue Maria lib. 1.

De quatuor sensibus Scripturæ lib. 1.

De quatuor virtutibus lib. 1.

Manuale Sacerdotum lib. 1.

De vitijs capitalibus lib. 1.

De origine Ordinis Fratrum Eremit. S. Augustini.

Quodlibeta duo.

Sermo-

Sermones de tempore.

Sermones de Sanctis.

In libros Ethicorum Aristotelis copiosissima Commentaria, Anibaldo Canonico Atrebatensi dicata.

Additiones eius in *libros Sententiarum*, cum Ægidii Romani in eosdem Commentariis, impressa sunt Coloniæ anno 1513. Item *Sermones de sanctis* in oppido Germaniæ Hannouiæ, cum hac inscriptione, *Opus sermonum exactissimorum de sanctis per excellentem, ac verè Seraphicum Doctorem Henricum ab Vrimaria Ord. Erem. D. Augustini compilatum.*

Huic, vt est apud Iordanum Saxonē priusquā è vita decederet contigit grauissimis renum, vesice, calculi quoque ac stranguriæ doloribus à Deo paternè castigari, quæ omnia vir sanctus tormenta inuicto plane & constanti animo tolerauit. Qui cum ad extrema deuenisset Sacramentis omnibus Christiano ritu perceptis, sociisque qui moriturum circumstabant vale dicto, oculis in sublime elatis, hæc verba ingenti pietate pronuntiauit. *In manus tuas Pater Deus commendo spiritum meum: in manus tuas Fili Deus commendo spiritum meum. In manus tuas Spiritus Sancte Deus commendo spiritum meum.* Quibus dictis animam Deo reddidit senex ac plenus dierum. Miraculis & viuus & mortuus fuit illustris.

Dum grauis affectos morbus sæuiret in artus,
Vitaque iam fugeret victa dolore graui;
Constitit Henricus gaudens: causamque rogatus:
Nam mihi propitium sentio numen, ait.

HERMANNVS AB ALLIS, natione Germanus S. T. Baccalaureus, vir innocētissimæ vitæ, atque integerrimis moribus, cum omne fere tempus sacris preci-

precibus tribuerit, oratione potius, quàm studio doctrinam à Deo impetrasse creditur. Scripsit *pias quasdam de Christi passione meditationes*. Claruit an. Domini 1550.

HERMANNVS à SCHILDIS natione Germanus, præstanti vir ingenio diuinarum rerum fuit studiosissimus, & in Scripturis apprimè versatus, idemque magnâ in Deum pietate conspicuus. Nominis eius famam hæc Scripta memoriæ prodiderunt,

Super primum Sent. lib. 1.
In Genesin lectura, lib. 1.
Hexameron duplex lib. 2.
In Cant. Cant. lib. 1.
De Materia Canticorum lib. 1.
Super Orat. Domina dupliciter lib. 2.
Super Aue Maria lib. 1.
Breuiloquium lib. 1.
De quatuor Sensibus script. lib. 1.
Expositionis Missæ lib. 1.
Manuale Sacerdotum lib. 1.
De Vitijs Capitalibus lib. 1.
Claustrum Animæ lib. 1.
De Conceptione S. Mariæ lib. 1.
De Decem Præceptis lib. 1.
De Modo studendi lib. 1.
Introductorium Iuris lib. 1.
De vera, & falsa Amicitia lib. 1.
De Horis Canonicis lib. 1.
De quinque Sensibus lib. 1.
De 42. Mansionibus lib. 1.
Contra Flagellatores lib. 1.
De Comparatione Missæ lib. 1.
De Diuisione Philosophiæ metri lib. 1.

Super

Super Cap. Omnis Vtriusque lib. 1.
Sermones varij lib. 1.
Collationes prædicabiles lib. 1.
Quæstionum diuersarum lib. 1.
In Ethica Aristotelis lib. 10.
In Rhetoricam Aristotelis lib. 3. & alia multa non perfecta. Claruit anno Domini 1340.

Exercitus, te nomen indigetat Ducem,
Clypeumque cognomen ministrat; quem petis
Hermanne bello: Noxiorum exercitum.

HIERONYMVS FVLGINAS Vmber, Romæ Ord. sui Procuratoris officio clarè functus, cum diuinarum litterarum scientia, tum morum suauitate incredibili gratissimus omnibus fuit; suæque Religioni magnam apud omnes famam conciliauit. Is in Comitiis quæ celebrata sunt Venetijs anno Domini 1519. doctam ac elegantem dixit Orationem Ægidio Viterbiensi Cardinali & Ordine Amplissimo præsentibus.

Epistolas plures, & Poëmata plena ingentis animi euulgauit

Obijt salutis anno 1534.

HIERONYMVS NEAPOLITANVS Nicolai V. Pont. Max. olim Præceptor, atque Episcopus Calabriensis, senio confectus Græcas litteras didicit, ac multa è Græco Latinè transtulit.

Scripsit etiam Centurias Ord. nostri, Claruit anno 1440.

HIERONYMVS NIGER à Fossano oppido, FOSSANIVS cognominatus, tam diuinæ quàm humanæ litteraturæ studiosissimus, & in vtraq; egrégiè perpolitus, edidit librum 4. partibus distinctum.

De admirando Mysterio, & Christo adorando in Eucharistia Hieronymo Seripando tunc Ord. Generali dicatum.

Item scripsit *contra VValdenses*, & alia multa. Claruit an. salutis 1558.

Candidus hic Niger est nihil est nigroris in illo:
Candorem mentis candida scripta probant.

HIERONYMVS PATAVINVS Episc. Argolicensis, Vir & Religione, & studijs litterarum in paucis censendus, *Orationes aliquot & Sermones non vulgares* posteritati dedit.

HIERONYMVS ROMAN Hispanus, & Ioannes à sancto Iosepho Lusitanus, Viri spectatis moribus & Antiquitatis scietissimi indagatores, patrio idiomate *Chronica vsque à sancto Patre Augustino, ad hæc tempora* scripserunt.

Exstat & Hieronymi Roman *Monarchia*. & quędam alia.

HIERONYMVS ROMANVS Theol. & Concionator celeberrimus, cum per Quadragesimæ tempus Neapoli sacris concionibus operam daret, adeo commouit vniuersam ciuitatem, vt nemo multis ante temporibus maiori aut concursu, aut studio auditus fuerit. Is *tractatus* nõnullos scripsit, & *Conciones* quasdam *in Euang. Quadrag.* quæ Romæ in Conuentu S.P. Aug. extare solebant. Decessit iuuenis nondum quintum supra trigesimum agens annum, an. Domini 1507.

Indigno simul ac fato Romane peristi.
Suada gemens tecum visa tacere fuit.

Hie-

HIERONYMVS à SAONA Hiſpanus Doctor Theolog. edidit *Hierarchiam cœleſtem & terreſtrem* ſuo idiomate impreſſam Barcinone apud Gabrielem Graiel anno 1598.

HIERONYMVS SENENSIS Italus, Sacræ Theol. Doctor, Conuentus ſancti Auguſtini Romæ olim Prior

Edidit *Tractatum de Matrimonio.*

Eius quoque ſtudio liber *AEgidij Romani de Regimine Principum* nouiter eſt recuſus, & Reginæ Franciæ dicatus.

HIERONYMVS SERIPANDVS Neapolitanus, ob ſingularem doctrinam, prudentiam vitæque integritatem multis honoribus in Ord. perfunctus, atque etiam Auguſtinianam Religionem vniuerſam eſt moderatus: verum quod vteretur infirmâ valetudine, abdicans ſe tanta præfectura, dum apud Carolum quintum Cæſarem Auguſtum pro ciuitate ſua Neapolitanâ legationis munere fungitur, Archiepiſcopus Salernitanus pronunciatur. Poſt autem Romam à Pio IV. Pont. Mox. euocatus in Purpuratorum numerum eſt adſcitus, & ad Concilium Tridentinum cum poteſtate legati à Latere deſtinatus: quantum ingenio valuerit monumenta librorum eius teſtantur.

Comment. in omnes Diui Pauli Epiſtolas.

Item *& in ſeptem Canonicas Epiſtolas.*

Expoſit. in Euangelia quæ in Quadrageſima leguntur.

Quæſtiones 67. aduerſus hæreſes huius temporis.

Lib. tres de hominis Iuſtificatione.

Tractat. de peccato Orig.

Ad nonnullas quæſtiones ſcripſit ex textu epiſtola Catholicæ

 reſpon-

responsiones Antuerpiæ 1567. & Venetijs 1566. excusas.

Scripsit quoque *Conciones* linguâ Italicâ *in Symbolum Apostolorum & in Orat: Dominicam.*

Sermones Latinè, quos in maioribus festiuitatibus, ad Fr. habebat.

Compendium Chronicorum Ord. nostri.

Orationes complures.

De eodem in hæc verba Posseuinus: *Hæc omnia asseruantur Neapoli in Biblioth. Monasterij S. Ioannis de Carbonaria, quam ipse exstruens, eamque libris optimis omnium scientiarum generum, tum excusis, tum manuscriptis impleuit: Sed & explicationem Symboli Apostolici Italicè ab eo scriptam & quidem sensu vberem, stilo pressam Venetijs euulgatam sumus consecuti.*

Obijt Tridenti die 13. Martij ann. 1563. sepultusque est in Templo S. Marci, quod est Ord. nostri hoc Epitaphio.

Si quis honos tumuli, quantum sol lampade lustrat,
Terrarum Cælique tuum est, Seripande, sepulcrum.

Hoc tetrasticho Melchior Daelhemius eundem canit.

Aluum Parthenope felici sidere pandit,
Et nutum à læuo Iupiter axe dedit,
Dum flos ille virûm Seripandus serius auras
Has subiens sacro sparsit ab ore iubar.

HONORIVS MARTINI Italus scripsit *vitam Christinæ de S. Cruce, Ord. S. Aug.* impressam Senis, à Luca Bonetto an. 1593.

HVGOLINVS VRBEVETANVS, Vir summæ auctoritatis, & virtutis ab Vrbano V. Pont. Max. an. 1370. creatur

creatur Episcopus Ariminensis, & Patriarcha Cõstantinopolitanus. Hic Parisijs vbi primum Cathedram tenuit, summo fuit honore affectus. Erat namque ingenio ad excogitandum celeri & acuto, ad explicandum vberi, ad disputandum acri & vehementi, ad refutandum prompto & irrefragabili: ad hæc in vtramque partem de re propositâ more Peripateticorum egregiè contendebat: Porrò in sententijs pressus, breuis, ac succinctus; quæ animi bona, morum splendor, ac relucens quædam virtus gratiora faciebant. Decessit Aquilę, cum è Galliâ in Italiam reuersus esset; eiusque corpus transuectum est ad vrbem veterem, & in D. Augustini templo conditum. Reliquit ingenij sui victura monumenta

Comment. supra 4. lib. Sent. Exemplo veri summiq; magni.

Quæstiones super lib Physicorum lib. 8.

Quæstiones super Prædicamenta, & Perihermenias lib. 2.

Quodlibeta multa lib. 2.

De Idiomatum differentia lib. 1.

De Deo Trino & Vno.

Sermones de Tempore lib. 1.

Sermones de Sanctis lib. 1.

Comment. in Boëtium de Philosophica Consolatione.

Quod vetus est vinum præstantius esse sueuit,
Ite meri floces mustea vina procul.
Carior est veterum virtus, doctrinaque mores:
(Heu vbi prisca fides? ingemere illa solet.)
Virtuti recta veteri Vrbeuetanus adhæsit,
Vrbe vetus, studijs, indole, more vetus.

Melchioris Daelhemij.

I

IACOBVS ALBERICVS Italus Bergomensis edidit librum *de Vita & miraculis B. Claræ de Monte Falco Ord. nostri.*

IACOBVS, cognomento virtutis, & eruditionis ergô MAGNVS, patria Tolosanus, in veterum Theologorum lectione plurimus; præter *annotationes vberes atque doctas in omnes sacros libros*, edidit *volumen egregium, de Sermone & inquisitione Diuinæ Sapientiæ*, quod appellauit

Sophologium, Libris decem distinctum.

Quæstiones in lib. Aristotelis de Anima.

Item librum titulo *Vtriusque Philosophiæ Compendium* Michaeli Episcopo Antisidiorensi dicatum.

Hic cum esset à secretis confessionibus Carolo VII. Francorum Regi, electus Archiepiscopus Burdegalensis, dignitatem recusauit. Claruit anno Domini 1415.

Præsulis eximios hic non admisit honores:
Cætera sub Magni nomine magna latent.

IACOBVS MARINES natione Gallus excellente vir ingenio, & sacrarum litterarum aliarumque artium scientia copiose instructus, in Lutheranam sectam calamum strinxit, Libris aliquot, fuitque Gallorum Regi Francisco Primo valde carus.

IACOBVS NEAPOLITANVS Theol. & Concionator egregius, ingenio acuto & ad disputandas, enodandasq; scripturarum quæstiones idoneo. Scripsit in facultate Theol.

Super

Super 1.& 2.Sent.

Quæstiones disputatas.

Sermones quosdam diuersi argumenti. Claruit an.Domidi 1375.

IACOBVS PEREZ Hispanus à Valentia Vide Didacus Perez.

IACOBVS PHILIPPVS Bergomensis, in Diuinis, ac humanis litteris; atque etiam Theologiâ, clarus; magnitudine ingenij, morumque integritate præditus singulari, historijs magnoperè delectatus, exarauit

Opus historiarum ab initio Mundi vsque ad annos 1503. Volumen grande & insigne, quod *Supplementum Chronicorum* Libris sexdecim prænotauit. excusum est hoc opus primum Venetijs, postea Parisijs emendatum prodiit, addita etiam Accessione breui, historiarum nostri temporis. viuebat anno 1494.

Item de *Claris Mulieribus Christianis* lib.1.

Ad Beatricem Aragoniam Hunnorum, & Bohemorum Reginam. Claruit anno Domini 1490.

Epitaphium.

Ingenio præstans, clarus virtute, disertus
Eloquio, veteris conscius historiæ,
Quem vixisse libri viuaces secla docebunt,
Hîc, quod destruxit Parca, Philippus habet.

IACOBVS PRATENSIS Tuscus Theol. edidit *Sermones Epistolas Dominicales*, inuitatus vt id præstaret à venerabili viro F. Andrea Bergomensi. Vnam-

quamque Epistolam tribus admodum concionibus incipiens, à prima Dominica Aduentus complectitur. Claruit an. 1460.

IACOBVS VELDIVS Flander, patriâ Brugensis, Sacræ Theol. Doctor Louaniensis, Prouinciæ Coloniensis Præses Prouincialis, Concionator disertissimus, omnibusque ijs artibus quæ homine libero dignæ sunt, affatim instructus, primum Parisijs, post Louanij doctrinâ claruit. Vt autem eruditionis & ingenii specimen posteris testatum relinqueret, scripsit ea quæ etiamnum manibus omnium circumferuntur, videlicet

Tabulas compendiosas in Euang. & Epistolas, quæ per totam Quadr. populo in Ecclesia proponi solent, Venetiis 1570. excusas.

Eiusdem *Paraphrasticam Enarrationem, quæ sacro Quadr. tempore populo solet proponi*, Antuerpiæ apud Plantinum an. Dom. 1570.

Paraphrasticam Enarrationem in Passionem Domini nostri Iesu Christi, Antuerpiæ excusam apud Plantinum anno 1570.

Comment. in Epistolas quæ sacro Quadra. tempore fidelibus solent proponi Louanii 1572.

Comment. in Danielem Prophetam pro Concione explicatos, Antuerpiæ apud Ioannem Bellerum anno 1575.

Scripsit præterea *Comment. in Threnos*, sed non excusa sunt Louanii in Bibliotheca nostra S. August. Floruit anno 1570.

Tu quoque dum Studijs constabit nomen Athenis,
Flandriaci viues gloria magna soli.

IACO-

IACOBVS VITERBIENSIS Archiepiscopus Neapolitanus, sacrarum litterarum longè peritissimus, ab acri profundoque ingenio, *Speculatiuus Doctor* appellatus, apud omnes mortales, cùm propter mentis subtilitatem, tum eloquentiæ splendorem, & quod palmarium est, propter vitæ ac morum candorem, summo loco semper est habitus. Vixisse testantur scripta eius

Ad Clementem V. Pont. Max. *de Regimine Christianitatis* lib. 2.

Super Magistrum Sent. lib. 4.

Sermones diuersarum Rerum lib. 1.

Quæstiones de Prædicamentis in diuinis lib. 1.

Quodlibeta 4. *Parisijs disputata* lib. 1.

Claruit an. 1310.

Vita vapor modicus, stadium commune malorum:
Æternùm virtus viuit & ingenium.

IOANNES AB ANGELIS, natione Lusitanus, edidit varios *Tractatus de triumphis diuini amoris.*

IOANNES AB ANNVNCIATIONE, in Indiæ, quæ solis est occidentis, noua Hispania, Præpositus Prouincialis, quique prius Cœnobio Mexicano præfuerat, atque etiam Rector Collegii S. Pauli quod est Ord. nostri; vir, vt in eo cetera prædicanda sileam, linguæ istius peregrinæ scientissimus, *Grammaticam* edidit *Mexicanam*, quam methodo, ab Antonio Nebricensi seruata, composuerat.

Euulgauit etiam *Sermones in totius anni Dominicas, ac festos dies* eodem idiomate Mexicano.

Barbara sic didici peregrina nomina gentis,
Vt doceam patrio Mexica verba modo.

Hæc Oratio Louanii aliisque in locis typis còmmissa fuit.

In orationem eandem.

Grande malum toto, nullumque nociuius orbe
Quatuor antidotis hic tibi Sermo fugat.

IOANNES BAPTISTA à GLANO Leodicensis, Doctor Parisiensis, Prouinciæ Coloniensis secundo Præses Prouincialis, vir ingenio ad lucubrandum maximè facto, scripsit Gallico Sermone

Historiam Pontificalem, seu demonstrationem veræ Ecclesiæ à Christo fundatæ, cui præmittitur *directorium ad eandem historiam*

Item *OEconomiam Christianam* diuisam in 8. libros.

Lib. *De officio puellarum* in duas partes distributum. Prior est, de ijs quæ ad nuptias efformantur,

Posterior, de ijs quæ ad Virginitatem perpetuam:

Scripsit quoque *Europam*, siue *de primariarum Europæ prouinciarum ritibus, cerimonijs, & vestibus*.

Item transtulit *Historiam Antonij Gouea, de Progressu Ecclesiæ Catholicæ in India Orient.* ex lingua Hispanica in Gallicam, cui adiunxit *Exhortationem* ad Belgiæ Catholicos vtilissimam. plura dabit, si per valetudinem licebit.

De viri huius laudibus à morte patebit ad dicẽdum campus: & breui quidem, dum enim hæc scriberem, inaudiui periculosissima valetudine conflictatum ad extrema deuenisse.

Continet inuitam tua Glane modestia linguam:
Plus tamen interdum qui tacet, insinuat.

IOANNES BAPTISTA GORI Romanus, edidit *Quadragesimales in SS. Euangelia* tomos duos, Venetiis an. Domini 1610. impressos, & an. 1611. recusos, & alia quædam.

IOANNES BERNARDVS Andegauensis, Parisiis Doctoris fuit Laureâ insignitus, & in vniuersâ Gallia Priori Generali vicariam operam præstitit. Hic idem in Lutheri teterrimam sectam, id temporis grassantem, animo toto totisque viribus oppugnando incubuit, disertissimis ad populum habitis concionibus, quibus Hæreticos acerrimè est insectatus, quas etiam conciones scriptis mandauit.

IOANNES BECHOSEN Gallus, librum edidit titulo, *Quadruplex Missalis expositio, litteralis, allegorica, tropologica, anagogica.* Per Michaelem Furter Basileæ 1509. impressum. Floruit eodem tempore.

IOANNES BENEDICTVS MONCETVS è Castellione Aretino, Philosophus & Theol. insignis, Scripsit librum, qui inscribitur, *Tractatus Aureus de distinctione Rationis contra Scotum.* Floruit an. 1500.

IOANNES BASILIENSIS, tam diuinis quam humanis litteris perpolitus, edidit insigne *volumen in quatuor libros Sent.* Fuitque tam in Galliâ quam in omni Germaniâ viri huius fama multò celeberrima, quam sibi doctrinæ & Sanctitatis opinione comparat. solitique fuerunt ipsi Principes, ac Pontifices Ioannis consilium in rebus grauissimis adhibere. Decessit Basileæ septuagenarius die 15. Octobris. an. 1378.

Admirérne tuum si Gallia nomen adoret?
Hoc quoque Romani suspicit orbis apex.

IOAN-

IOANNES BERNARDVS, cognomento FORTIS, Sauonensis, vir multis animi dotibus exornatus, edidit *Vocabulistam Ecclesiasticum* Venetijs impressum per Franciscum Vindonum an. Dom. 1535. Claruit an. Domini 1490.

IOANNES BROME siue BRAMB Anglus, Theol. (Lelando referente) primæ Theologorum classis dies atque noctes bonis artibus studendo coniunxit. Scripsit

Quorundam Chronicorum Indices.

Sermones aliquot non vulgares

Directoria, seu *tabulas aliorum scriptis per totam fere Bibliothecam* docte & laboriose addidit. Gorlestanæ demum obijt vir eruditus, ac pius. an. 1449.

Hunc si nocturnus potuisset adire Cleanthes,
Clamasset, sese iam reperisse ducem.

IOANNES BVRY natione Anglus, Patria Clarensis, Angliæ & Hiberniæ Præpositus fuit, & Theologicis rebus apprimè eruditus: qui, cum per eam tempestatem Hæreticus, nescio quis, Reginaldus Pecok, pestiferis libellis, de libertate Euangelij, de secularium potestate, de æqualitate ministrorum, de legibus & doctrinis hominum, de vtriusque speciei communione, de non dotandis Clericis, vniuersam Angliam inficere conaretur, Ioannes confestim stilum strinxit, & ad Thomam Burcherium Archiepiscopum Cantuariensem, & S.R.E. Cardinalem acerrimè scripsit contra Reginaldum Pecok *lib. duos. Sæpe vobis ouilique vestro.*

Edidit quoque *in Lucam Comment.* lib. 1.
Lecturas Scripturarum lib. 1.

Que-

Quæstiones variarum Rerum lib. 1

Sermones quoque lib. 1. Floruit anno Domini 1460.

Mors PICEI *funesta* COCI *vitiauerat ollam,*
Dira coquebantur fercula Catholicis:
Burius inspexit, virusque effudit & ollam
Cumque ollâ pariter perdidit ipse coquum.

IOANNES CAPGRAVE Anglus, omnium quos produxit Britannia Theologorum, nobilissimus, diuinarumque scripturarum incomparabili flagrans desiderio, præclarissimi sui ingenij dedit argumenta,

Comment. in Gen. lib. 1. Arduum namque & super vires est.

Super Exodum lib. 1. Quia Historiam.

Super Leuit. lib. 1. Occultissimorum mysteriorum.

Super Num. lib. 1. Ex Nicolao de Sira

Super Deuteron. lib. 1. In hoc vltimo Libro Moysi

In Historiam Iosue lib. 1

In Iudices, & Ruth lib. 2.

In volumina Regum lib. 4.

In Psalterium lib. 1.

In Ecclesiasticum lib. 1.

In Esaiam Proph. lib. 1.

In Danielem lib. 1.

In 12. *Prophetas minores* lib. 12.

Super quatuor Euang. lib. 1.

Super Epistolas Pauli lib. 14. Domino suo honorabili Hunfrido.

In Acta Apostolorum lib. 1. Reminiscor sancte Antistes.

In Apoc. Ioannis lib. 1. Venerabili Domino suo in Christo.

In Epistolas Canonicas lib. 7.

Manipulum Doctrinæ Christianæ lib. 1. Inter cetera otii mei secreta.

De Fidei symbolis lib. 3. Quoniam Psalmographus ait.

De Nobilibus Henricis lib. 3. Henrico Dei gratia Regi Angliæ.

De Sequacibus Augustini lib. 1. Testatur ille Græcorum eloquent.

Catalogum sanctorum Angliæ lib. 1. Sancti Patres qui priscis fuêre.

Super lib. Sent. lib. 4.

Determinationes Theologiæ lib. 1.

Ordinarias Disputationes lib. 1.

Ad Positiones erroneas lib. 1.

Orationes ad Clerum lib. 1.

Sermones per annum lib. 1.

Vitam Hunfridi Ducis lib. 1.

Lecturas scholasticas lib. 1.

Epistolas ac diuersos lib. 1. atque alia plura.

Linnæ tandem Nordouolgiæ oppido decessit die 12. Augusti, anno salutis humanę 1464. & ibidem in templo nostro est sepultus.

Hunc quoque cælestem felix tulit Anglia fœtum,
Esse cui Angelico contigit ingenio.

IOANNES DE CARCASONA natione Gallus, patriâ Narbonensis, diuinæ scripturæ scientia in primis nobilis, & in Academiis, ingenii doctrinæque laudem haud vulgarem adeptus, scripsit

In Euangelia lib. 4.

De

De vita solitaria lib. 1.
Conciones ad populum lib. 1.
Viuebat anno 1350.

Nicolaus Bertrandus.

IOANNES CLIVOR è Saxoniâ, Theol. illustris, Scripsit *in Magistrum Sent. Comment.* Vixit anno Domini 1395.

IOANNES CORBICON Gallus, à Carolo V. Gallorum Rege inuitatus *Bartholomaeum, de Proprietatibus rerum*, in Gallicam linguam transtulit. Vixit an. 1370.

IOANNES à CRVCE Gallus, Ambianensis, doctrinâ, moribus, ingenio præstans, & in Concionibus sacris eximius. *Scripsit Hom. in Euang.* quæ toto anno Dominicis, & Festis diebus in Ecclesia recitantur.

IOANNES DATHVS Episcopus Imolensis. Vir doctus & in disputando acerrimus, Ægidianæque doctrinæ pressus imitator, ac defensor. Scripsit

De Attributis in diuinis lib. 1.
In Priora Aristotelis lib. 2.
In Posteriora Aristotelis lib. 2.
De Potentijs Animæ lib. 1.

Libros D. P. Augustin. contra Faustum Manichęum, Contra Cresconium Donatistam, & de Trinitate, in *conclusiones* reduxit. Claruit anno Domini 1460.

Aureli niueam mihi præbent scripta farinam;
A me sed formam, quem fero, panis habet.

IOAN.

IOANNES MAGIRVS, alias DEN COCK, Saxo, siue Tiringus, ingenio, & doctrinâ, præsertim ea, quę versatur circa Deum rerumque diuinarum speculationem, præstantissimo, decessit Pragæ, qua in ciuitate præcipuo fuit honore affectus. Pamphilus noster obiisse ait anno 1352. At Tritemius anno 1360. Eius sunt *super sententiarum lib.4. Comment.*

Quæstiones variarum Positionum Pragæ disputat. lib.1.
Sermones de Tempore lib.1.
Item Sermones de Sanctis lib.1.
Epistolarum ad diuersos lib.1.
Claruit anno 1360.

Fercula coxisti tanto meliora Magire,
Ingenium quanto, nobile, ventre prius.

IOANNES DORPEN, siue vt alii scribunt DE DORSTEN, Germanus, in Diuinis litteris exercitatissimus, & ad nodosas quæstiones soluendum efficaci: idemque cum ingenti facundiâ pro concione verba facere solitus, in Gymnasio Erfordiensi in quo publicus fuit Professor scripsit

Quæstiones Sent. lib.1.
De Cognitione Angelorum lib.1.
De Vitijs linguæ lib.1.
Consolatorium in mortis metum lib.1.
Ingens *volumen Sermonum de tempore* lib.1.
Item *de Sanctis* lib.1.
Vixit anno 1470.

An sitis est Dorsten tibi nominis huius origo,
Quam tibi cum legeres pagina sacra dedit?

IOANNES ERGON Anglus, patriâ Eboraco, rudimentis litterarum positis Oxonium contendit, vbi

vbi seuerioribus excultus disciplinis, ad Theologiam publicè profitendum est aggressus. Is, vt, inquit Antonius Posseuinus, conquisitos Auctores, *Methodium, Ioachimum Calabrum, Cyrillum Carmelitam, Ioannem Bridlingtonum, Robertum Vsecium, Ioannem de rupe scissa, Ioannem Barsigneum, Sibyllas*, & alios qui siue prophetias, siue Reuelationes ediderunt, in vnum condens & Herfordæ Comiti dicatos edidit: quod opus inscripsit, *Compilationes vaticiniorum* Scripsit item in *vaticinia Ioannis Bridlingtoni* lib. 3. *Calculationes Astrol.* lib. 2. *Sermones ad populum.* Vixit anno 1490.

Tristia quæ patria censes oracula vatum,
Heu satis, & nimium iam luit illa diu!

IOANNES EVANGELISTA VERONENSIS, litteris & moribus ornatissimus, Parisijs Doctoris lauream est assequutus, & Veronã rediens, Præses Prouincialis est renuntiatus. Scripsit

Annotationes aliquot in Psal. Dauidis.
Item Sermons ad populum.

IOANNES FABRIANENSIS, siue è FABRIANO, Theologus, Euangelia exposuit, in id incumbens, vt Philosophiam præcipuè Platonicam, tanquam ancillam adduceret ad arcem Theologiæ, non nescius in Platone plures fuisse errores. Scripsit autem *in Ethica, & Politica.* Obijt Bononiæ. Viuebat an. 1340. Ambrosius Coriolanus, & Ioseph. Pamph.

IOANNES GOODVVYCK natione Anglus, Theologus doctus, & grauis. Is (vt narrat Thomas Colbius) in Nordouolgiæ comitatu natus, primis adolescẽtiæ suæ annis Cœnobiticæ vitæ præcepta in Lymnensi Augustinianorum loco singularitate quadam obser-

obseruauit. Iactis verò eius instituti fundamentis Cantabrigiam primò, Oxonium postea, flagrans ardore discendi, petijt. Vbi intra pauculos annos doctrinæ insignibus donatus, honorem summum meruit. Vnde post concertationes aliquot, atque prælectiones illic publicè celebratas, Prouincialis demum Angliæ, Hiberniæque Præses effectus, coram Rege, atque alijs Regni proceribus, non sine magnâ sui nominis famâ, solennes edidit conciones. Scripsit autem

Lecturas in Gen. lib. 1.
Lecturas in Psalmos lib. 1.
Comment. in Danielem lib. 1.
De hebdomadis Danielis lib. 1.
In quædam D. Pauli dicta lib. 1.
Quæstiones disputat. lib. 1.
Sermones per annum lib. 1.
Floruit anno 1340.

Ergóne tot Proceres fert Religionis auitæ
Anglia? tot celebres educat ipsa viros?
Scilicet vt fiant rebus vergentibus olim
Præsidiumque bonis, opprobriumque malis.

IOANNES GONZALES è CRITANA Hispanus, edidit Hispanico sermone librum qui inscribitur *Oratorium Sanctum*

Item *Epitomen Historicam Vitæ Monasticæ Magni Antistitis Augustini, institutionis sacræ Eremit. Familiæ, Antiquitatis & Continuationis eiusdem*: quam transtulit in linguam Latinam Gregorius Dayneff, editam apud Hieronymum Verdussium Antuerpiæ anno 1612.

Item Siluam Comparationum seu similium.

IOANNES GONZALES à MENDOZA Episcopus

Lipparensis. Scripsit *Historiam magni Regni Chinensis* tribus libris in duas partes distinctam. In prima agit de Situ, Antiquitate, Fæcunditate, Religione, Cerimonijs, Moribus, Regibus, Legibus, Magistratibus, alijsque rebus eius Regni memorandis. In secunda de tribus ad id regnum Profectionibus, prima anno 1577. secunda 1579. tertia anno 1581. Quæ quidem historia Latinis, Hispanis, Gallis, Italis & Germanis communis est, vt enim in patrium transiret sermonem, omnes contenderunt. Romæ an. 1585. apud Barthol. Grassum.

IOANNES HOFMEISTERVS natione Sueuus, patriâ Colmariensis, primùm Sueuiæ Prouincialis Præses, dein in vniuersâ Germaniâ Præpositi Generalis vicem agens, singulari vir pietate, ac inculpatissimis moribus, eloquentiaque mirabili præditus fuit, Veritatis adhæc Catholicæ indefessus propugnator, Lutheranos dirum genus Hæreticorum, nusquam passus est consistere, voce & scriptis acerrimè eos insectatus: quam etiam ob rem Carolo Cęsari ac Ferdinando regi omnibusque Catholicis, Germaniæ præsertim acceptissimus fuit.

Scripsit *Expositiones in Euang. secundum Marc. & super Lucam.*

In Matthæum se parasse Comment. ipse in Cap. II. *super Marcum* enarrat.

In 12. priora Cap. Actuum Apostolorum.

In Tobiam breues & excultas Exegeses.

Comment in Epistolas Pauli ad Corinth.

Comment. super Epistolas Pauli ad Timoth. & Titum vt ipse fatetur in cap. primum Lucæ.

Aduersus Confeßionem Augustanam.

Locos

Locos communes Doctorum.

Item *locos communes rerum Theol. quæ hodie in controuersijs agitantur, ad regulam, & consensum verè Catholicaque Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum Sententias Ingolstadij* 1582.

Canones, siue *Claues ad interpretandas sacras scripturas*. Moguntiæ anno 1545.

De Fraudibus Hæreticorum.

Verbum Dei Carnem factum, Ecclesiæ suæ vnicum propitiatorium, ac perpetuum esse Sacrificium, Assertionem.

Precum, & Cerimoniarum, quarum vsus in quotidiano sacro, Expositionem.

Sermones de Sanctis.

Hom. in Euang. Dominicalia & quasdam ferias Quadragesimæ.

Dialogorum lib. 2. Hæc omnia excusa sunt Ingolstadij. Ei sæpissimè insidias struxerunt hæretici, vt tolleretur è medio, sed ab ijsdem, licet multa incommoda perpessus sit, naturali tamen morte decessit.

Claruit an. Dom. 1538.

Viderat Oeconomum tranquillè cedere vitâ
Hæresis, & quassans inuidiosa caput:
Non erat hæc, inquit, nostræ sententia mentis
Cum tibi multiplici struximus arte dolos.

IOANNES HIKELEY Anglus Theol. Ioannis Wiclefi antagonista, apud suos honore clarus. Scripsit *volumen grande de Ecclesiæ Potestate tribus partibus distinctum*. Vixit an. Dom. 1400.

IOANNES LANA BONONIENSIS, vir admodum sinceræ vitæ, multumque demissi animi, Scripsit

Commentaria ad 4. libros Magistri Sent.

Quodlibeta duo.

Quaestiones ad libros Physicorum. & alia quaedam, quae in Biblioth. D. Iacobi apud nostros asseruantur Bononiae, vbi nonagenarius decessit. De huius viri sanctitate, & quemadmodum doctoris insignia saepenumero recusauerit, ceterisque eius dotibus, fusè Iordanus scripsit, quae item attigit Iosephus Pamphilus.

LANA *fugit titulos, & vulgi despicit auram:*
Virtutem pretium nam putat esse sui.

IOANNES LANGAM Anglus ex humili Nordouolgiae Pago, non procul à Nigeria natus, Nordouici professus Relig. nostram: scripsit, praeter *Philosophica quaedam, disputationes scholasticas*, quae ibidem in Biblioth. eius Coenobij asseruabantur.

IOANNES LYDGATE natione Anglus, variâ eruditione insignis scripsit.

De Genealogia Deorum lib. 15.

De Illustrium Virorum casibus lib. 9.

De capta Troia lib. 6.

De Chorea Machabai lib. 1.

Parlamen. voluerum.

Dial. Auis & Rustici lib. 1.

Vitam Adelstani & Edmundi Anglorum Regum lib. 2.

Acta Guidonis V Varuuicensis lib. 1.

De Arcthurij Rotunda tabula.

Eclog seu Bucolica.

Odas, Satyras & alia Poëmata.

Praeceptiones Lingua Gallica, è qua etiam transtulit multa in patriam linguam. Claruit Buriae, vbi tandem decessit an. 1482.

Hic

Hic tibi dum tetricam cupies differre Mineruam
Vrbano fallet tempora longa sale.

IOANNES LANSGHEM VVormaciensis, vir integerrimæ vitæ, scripsit *de institutione, & vtilitate fraternitatis Rosarij B. Virginis.*

Speculum Missæ.
Speculum Nouissimorum.
Arrham æternæ salutis.
Vixit anno 1486. Eisingr.

IOANNES LOVVE Anglus, vir Theologica cognitione clarus, & deinceps Episcopus Roffensis, apud Angliæ Regem Henricum VI. cui erat à Consilijs, celebris, in VVigorniensi Comitatu natus, & Augustinianæ professionis in VVichiensi Cœnobio, in quo à teneris fuit educatus, scripsit,

Sermones habitas coram Rege lib. 1.
Conciones per annum lib. 1.
Lecturas Ordinarias lib. 1.
Temporum historias lib. 1.
Disputationes Theol lib. 1.
Claruit anno Domini 1430.

Tunc Regum fortuna loco non apta moueri,
Doctorum monitis cum sapienter agunt.

IOANNES MAGDALENA Vlyssiponensis, Theol. egregius, qui fuit Alphonsi Principis, filij Ioannis secundi Lusitaniæ Regis Preceptor, sexque & viginti annos Vlyssiponæ publicè Theologiam è primaria Cathedrâ docuit: rogatus ab Ambrosio Corano Priore Generali Ord. nostri, scripsit *Tractatum de sanguine miraculoso, qui non semel fluxit ex hostia sanctissima Eucharistia:* in quò plura dubia expendit, & soluit.

Causa scriptionis huius fuit sanguis; qui ex consecrata hostiâ manauerat, quique Cassię quod est Vmbriæ in Italiâ oppidum asseruatur in Monasterio Dominicanorum. Vixit anno 1480.

Purpureum nigro tinxisti rore cruorem,
Quod non cuncta queant ditis ahena Tyri.

IOANNES MARQVEZ natione Hispanus, in Academia Salmanticensi S. T. Professor Cathedræ Vesperariæ. Edidit *Commen in librum Iosue.*

Scripsit *Conciones super Psalmum* 136. Super flumina.

Item *super Psalmum* 125. In conuertendo Dominus.

Item *Commentaria in Cornelium Tacitum.*

IOANNES MEDINA Hispanus Segouiensis, Vir verè Apostolicus & ditissimæ Paupertatis, Deo hominibusque dilectus: qui ob vitæ sanctitatem, meritorumque vbertatem in Mechoaca Occidentalis Indiæ parte Episcopus creatus, tanto cœpit diuiuinæ charitatis & Christianæ Religionis feruore succendi, vt deserta Insulâ & Episcopatu diuini honoris zelo post posito, totam Regionem percurrēs, immensos labores subierit, animas plurimas Verbo & exemplo in sagenam, horreumque Dominicum lucrando congregaturus. Scripsit

Pias, doctas, & vtiles Conciones.

Item *Collationes varias.*

Vitam item & miracula B. *Ioannis de Moya, aliàs Baptista* vnius illorum Augustinianorum qui primi in Indiā ad fidem propagandum sunt missi.

Ecquis Apostolicum verè neget esse Medinam,
Illius qui proprium tam benefecit opus?

Ioan-

IOANNES MIRAMANDA Tolosanus, Vir doctrina, & moribus conspicuus. Scripsit

Super primum Sent. lib. 2.

In Euang. Matthæi lib. 1.

De Quatuor Virtutibus lib. 1. & alia quædam. Claruit anno Domini 1340. Nicol. Bertrandus.

IOANNES è PLACA MEDINA, Prouinciæ Michinicanæ nouæ Hispaniæ in Indiâ Occidentali, edidit lingua Tarasca *Sermones in fidei Symbolum, Dominicas, & festa per annum.*

IOANNES RIDEVAL Anglus cum ad humanitatis studia rerum diuinarũ scientiam adiunxisset, in Oxoniensi Academiâ eam celebritatem nominis est assequutus vt in ore omnium versaretur. Edidit

Super Psalterium lib. 1.

In Cantica Canticorum lib. 1. Diligenti discretione cautum.

In Euangelium Ioannis lib. 1.

In Epistolas Pauli lib. 14.

In August. de Ciuit. Dei lib. 12.

In Mythologicon Fulgentij lib. 3. Intentio Venerabilis viri.

In Valerium Max. ad Ruffinum lib. 1. Loqui prohibeor &c.

In Ouidij Metamorph. lib. 1. In huius Expositionis initio.

De non ducenda Vxore lib. 1.

Sermones per annum lib. 1.

Lecturas Scripturarum lib. 1. & alia plura his similia.

Super Fulgentio tractat de Virtutibus & Vitijs, sub Imaginibus Deorum & Dearum quas olim coluit vana superstitio Paganorum. Claruit an. Domini 1330.

Alii *Franciscanum*, alii, hunc *Augustinianum* esse dicunt.

Funiculo traheris, corio quoque velleris idem:
De telis etiam, sed pia nata fuit:
At tu (speramus) superâ regione beatus,
Ne fias horum neuter, vtrumque voles.

IOANNES ROCHVS PORTIVS Ticinensis, præter Theologiæ scientiam qua excelluit, concionandi munere præclare functus, Scripsit

Homilias in Euangelia quæ Dominicis diebus Aduentus & Quadragesimæ recitantur.

In libros quoque Sent.

Item in omnes D. Pauli Epistolas

Volumina quæ doctrinam ac pietatem spirant.

Obiit Mantuæ anno 1471. ætatis 74. sepultusque est in Æde S. Agnetis. Iacobus Bergomas.

IOANNES à TOLOSA Hispanus S. T. Doctor, Prior Conuentus nostri Cæsar-augustani, edidit librum Hispanico sermone, dictum *Agonia animæ*

Item *Conciones per totum Aduentum vsque ad festum Epiphaniæ diuerso argumento in modum Dialogi.*

IOANNES TONNEIS Anglus, patria Nordouicensis, Præfectus in eâ Insula Prouincialis, Philosophus ac Theol. Rhetor etiam ac Poëta per eam ætatem haud vulgaris, famæque illustris apud suos, exarauit

Rudimenta Grammatices lib. 1.
De Quantitate Syllabarum lib. 1.

De Edendis Carminibus lib. 1.
Epist. ad diuersos, lib. 1.
Orationes ad Clerum lib. 1.
Sermones ad Populum lib. 2.
Certamina Scholastica lib. 1.
Lect. Magistrales Cantabrigiæ habitas lib. 1.
Collectanea quædam lib. 1.

Facetias, & rythmos ac alia quædam, quæ præuentus morte non absoluit. Excusa fuerunt eius opera Londini à Richardo Pinsono. Viuebat anno Dom. 1490.

Si quoque sit mentis quædam Pandora beata,
Ingenium dicam progenuisse tuum.

BEATVS IOANNES SAGVNTINVS, vulgò de SAHAGON, natione Hispanus, patriâ Sahagonensis, è Diœcesi Legionensi, nobilem protapiam, sed parentes steriles habuit, qui eum non citra miraculum, genuêre. Huius à teneris vnguiculis indoles apparuit optima: ac tum inde specimen dedit futuræ sanctitatis. Erga pauperes beneuolentissimum fuisse constat; tantæque pietatis & ardoris cum rem diuinam perageret, vt vbertim lacrymæ oranti defluerent, nec mirum; vtpote qui per dies singulos ipsum Seruatorem nostrum in Sacrosancto Missæ sacrificio coram videret, atque adeò non oculis tantum vsurparet præsentem, verumetiam familiarius cum eo vltrò citroque colloqueretur. Eidem Sanctissimo viro Salmanticenses acceptam ferunt pacem, quàm ipse persuasit ciuibus, cum omnia seditione teterrimâ flagrarent. Contigit autem huic eidem Sanctissimo viro cum ex calculo grauiter laboraret, suauissimâ Christi apparitione frui; quem cum centone

vili amictum videret, illicò vestem suam meliorem impertiit, eoque viso redditus animosior, Religioni nostræ dare nomen statuit. In quâ variis muneribus præclarè functus, omnibusque eximiæ sanctitatis ac innocentiæ seipsum exemplum statuens, Cœnobii tandem Præfecturam accepit. Dono Prophetiæ claruisse accepimus, & pluribus eius opem implorantibus à morte paruisse. Eundem cum creberrimis fulgeret miraculis ciuitas Salmanticensis atque etiam Academia, itemque Oppidum Saguntinum in patronum sibi tutelarem delegerunt. Eum Clemens VIII. Diuorum numero adscripsit.

Exstat eiusdem *Confeßio*, *quam ipse*, Patrem suum imitatus ad totius vitæ suæ rationem composuit.

Lucidum cæli decus, atque stellæ,
Quæ solo latè rutilans Ibero
Nuper illuxti, face non remotâ
Aspice terras.
In tuas laudes animosa surgit,
Sed iubar tantum refugit Thalia,
Non potens vitam gracili stupendam
Dicere versu.
Tu voluptates salebrasque carnis
Et strophas secli male dulcis, ante
Nosse quàm posses, tenerâ beatus
Indole vincis.
Se tibi monstrat niuea figurâ
Frugis abductâ Puer, & lacertos
Explicat gaudens, roseoque nectar
Diuidit ore.

Quâ

Quis tuas cantet lacrymas precesque
Atque singultus? neque par es ipse
Gaudio tanto: neque par id ipsum
Musa referre.

IOANNES STOLEVS, vulgò STOLEI natione Anglus, patria Nordouicensis, bonitate præstantiâque ingenii nulli secundus, & in faciendo verba ad populum e suggesto, facundiâ præditus singulari, cum ad Doctoris apicem Cantabrigiæ peruenisset, Ordinem suum Rector Prouincialis, ea in Insula, strenue duxit, annosque non paucos religiosis fratribus doctrinâ & vitæ exemplo præluxit. Decessit Nordouici anno 1479. Scripsit

Sermones per annum.
Quæstiones varias, & alia multa.

IOANNES è SVMARAGA Hispanus, cum Indis Occidentalibus viginti annis eorum lingua prædicasset Euangelium, & Episcopatum Nicaraguensem recusasset, pleraque dicitur scripsisse, sed excusum duntaxat se vidisse librum, quo agitur *de Sacramento Matrimonij*, scribit Ioseph. Pamph. qui & ipsum Episcopum Mexicanensem, siue (vt opinor) Mexicanum facit.

IOANNES STRINGARIVS Doctor Theol. Scripsit *in quatuor libros Sent.* cuius meminit Vincentius Bandelus è Castronouo Dominicanus, in disputatione de Conceptione Virginis his verbis. *Ioãnes Stringarius Doctor Theol. Ord. Eremit. S. Augustini in 3. Sent. Dist. 3. dicit, quod Beata &c.*

Vixit anno Domini 1430.

IOANNES SVLMONENSIS Theologus, ſcripſit in *Cantica Salomonis*, & *in Apocalypſim D. Ioannis commentaria*, quæ Ferrariæ exſtant in Biblioth. D. Andreæ noſtri Ord.

IOANNES VVALDEBY Anglus, patriâ Eboracenſis, Theologus Oxonienſis, & vniuerſæ Inſulæ Rector Prouincialis, vir iuxta pius, ac doctus, & eloquentiâ pollens ſingulari. Edidit

In Symbolum Apoſtolorum lib. 1. Cum in loco ſacro.

In Orationem Dominicam lib. 1. Septies indie laudem.

In Salutationem Angelicam lib. 1. Vas electionis Paulus.

Contra ſeptem peccata mortalia lib. 1.

Sermones duodecim lib. 1. Credo Domine adiuua.

De Sacramento Euchariſtiæ lib. 1. Ratione ſolemnitat.

Lectura Theolog. lib. 4.

Itinerarium Salutis lib. 1.

Determinationes Oxonienſes lib. 1.

Conciones ad vtrumque Statum lib. 2. atque alia plura congeſſit.

Magno Regis conſilio Stransfordiæ contra VVicleuiſtas cum alijs Theologis interfuit anno 1392. Obijt Eboraci in templo noſtro ſepultus.

Ne nimiis exultes miſerè periture Vicleffe,
Præſtabunt vallis altera valla tuis,

IOANNES VVILTON Anglus Iuuenis ſpectatiſſimâ Indole, cum in Gymnaſijs Anglicanis humanis & Latinis litteris operam dediſſet, Pariſios eſt

pro-

profectus, atque ibi velut in artium Cyclopœdia versatus, quæcunque sibi visus fuit digna memoriâ in Scholis audiuisse, digesta per ordinem in commentarios retulit. Exin Doctoris Theologi gradum adeptus, publice docuit, semẽque verbi diuini quod acceperat, cũ fœnore reddidit, insignis Ecclesiastæ munere functus. Eum Ioannes Baconthorpius (quẽ Baconem Tritemius & alij nominant) Carmelita, in primo & secundo Sententiarum valde collaudat, illius auctoritate ad plerasque vtens rationes. scripsit Parisijs, in & Angliâ,

Lecturam Sentent. lib. 4.

Sermones Hyemales lib. 1. Sicut in die honestè.

Sermones per Quadrag. lib. 1. Memor esto vnde excideris.

Sermones æstiuales lib. 1. Quæ sursum sunt quærite.

Sermones de Sanctis lib. 1. Simili pœna affectus est.

In Priora Aristotelis lib. 2.

In Posteriora Aristotelis lib. 2.

In Ethica Aristotelis lib. 10.

Determinationes in Theol. lib. 1.

Quæstiones & Lecturas & alia dum esset Oxonij Lector publicus, vbi etiam decessit. Claruit an. Domini 1320.

Ad hunc Catalogum Scriptorum.

Vt taceas reliquos quibus exstas, atque libellus
Vt dici possit, Anglia sola dabit.

IOANNES ZACHARIAS Erfordiensis Germanus, præstanti vir ingenio scripsit

In

In Pentateuchum Moysis

Et in omnes D. Pauli Epistolas, Scholasticè.

In Concilio autem Constantiensi aduersus Vicleffitas, & Hussitas, Ecclesiam Catholicam acriter defendit, bonasque artes ipsamque Theologiam, quibus præpollebat, in ipsos conuertit. Viuebat an. 1430.

IOANNES SVAREZ Lusitanus Episcopus Conimbricensis, *Comes de Arganil*, vir singulari beneficentià ornatus, & apprimè eruditus

Edidit *Comment in Euang. Matthæi multis tractatibus distinctos*, quorum initium est *Beatus Apostolus, & Euangelista.*

Floruit in Conc. Trid.

IORDANVS è SAXONIA, patriâ Quintelingeburgensi, vir eximiæ Sanctitatis, eorum Theologorum, qui in Germaniâ diuinam Sapientiam eâ ætate profitebantur, princeps agnitus, doctrinæ suæ excellentia tenuit non solum suprema in Gymnasijs Germanorum pulpita, sed & per vniuersam Germaniam totius Ord. Augustiniani Præfecturam.

Scripsit autem plures elegantes, & vtiles tractatus, & Libros, quibus nominis sui memoriam posteris reliquit, nempe,

In Apocalypsim D. Ioannis.

Tractatum de Passione Domini qui incipit. Inspice, & fac secundum Exemplar.

Sermones de Sanctis, quorum initium, Dan catulus Leonis, Parisijs olim excusos apud Damianum Hechman, & illos quidem probè dispositos, ac vberis eruditionis plenos.

Sermo-

Sermones item de tempore, Iordani ripas aluei. impressos Argentinæ anno 1483.

Quadragesimale.

Quæstiones varias.

Vitas fratrum, incipit lib. Spiritualis pulchritudinis.

Vitam S. Monicæ.

Apologiam Ord. sui.

Sermones autem ipsius Dominicales M.S. se vidisse ait Antonius Posseuinus Patauij, apud Augustinianos.

At & alius *omnibus Euangelica consilia sequentibus vtilissimus liber* eiusdem Auctoris exstabat Balneoregij M.S. Quem Augustinus Fiuizanus Apostolici palatij sacrista nostrique Ord. Generalis cum fuisset assequutus, Italicè abs se redditum, Romæ emisit, apud Ioannem Martinellum anno 1586. deinceps autem Latinum item cum notis M. Antonii Maffæ Salernitani V.C. & Abbatis. Agitur autem in eo *De quatuor Communionibus quæ sunt necessaria profitentibus Monasticam vitam. Deque Origine, ac progressu eiusdem Ordinis, diuique Augustini Regula exponitur. Communiones autem illas vocat, Localem, Spiritualem, Temporalem, Proportionalem.*

Graue porrò de B. isto Auctores testimonium reddidêre, Ioannes Tritemius, Abrahamus Schedel, Iacobus Bergomas lib. 14. Supplementûm Chronicorum. Episcopus Signinus in Chronico Ordinis. Obiit Viennæ Austriæ.

Claruit an. 1410.

Saxoniæ talis si cetera turba fuisset,
Hæresis in nostro iam foret Orbe minor.

IVLIANVS SALENTINVS Siculus, Magister Gene-

Generalis, vigesimus sextus, cum ab Ambrosio Coriolano plures scripsisse Comment. dicatur, quorum omnium Inscriptiones haud memorat, vir autem doctissimus fuerit (ita Posseuinus vocat) non dubitandum, quin pleraque ad Theologiam spectantia conscripserit quæ sancti huius Ordinis amantes filij curabunt in lucem proferre.

De Sensu composito lib. 1.
De Medio Demonstrationis lib. 1.
De Sophismatum regulis lib. 1.
Terminorum naturalium lib. 1.
Commentariolos præterea plures. Claruit anno assertæ salutis 1447.

L

LAVRENTIVS TEVTONICVS Coloniensis, de quo non incommodè dicere quis posset vetus illud Poëtæ

Ingenio magnus, corpore paruus erat.

Is sua eruditione Gymnasia Parisiensia, in quibus multo tempore docuit, & disputauit, plurimum exornauit. Ambrosius Coranus & Iacobus Bergomensis, quæ Laurentius composuit, aiunt se propterea non referre, quia ea nondum in lucem dederat. Fuit Galliæ Prouincialis Præses, & Monasterij Pariensis Prior, vbi tandem, obijt ann. Dom. 1493. die 22. Februarij.

LAVRENTIVS à VILLA-VINCENTIO XEREZANVS Hispanus Vir stirpe & eruditione nobilis, inferioris Germaniæ Vicarius Prioris Generalis, & tam libris canonicis & doctrina Patrum, quàm aliis litteris

teris & disciplinis eruditissimus, nec non in sugge-stu celeberrimus, & gratissimus Concionator, Scripsit, ac Posteritati tradidit

De rectè formando Theologiæ studio, seu de Ratione studij Theologici lib.4.

De formandis sacris Concionibus, seu de Interpretatione Scripturarum populari lib.3.

Antuerpiæ an.1565.& Coloniç an.Dom.1573. impressos.

Extant eiusdem *collectæ phrases Scripturæ Sacræ*, omnibus qui sacras scripturas in publicis scholis profitentur, vel priuatim intelligere optant, vel in Ecclesiis inter concionandum populis eas interpretantur, vtiles & necessariæ. Antuerpiæ apud Viduam & hæredes Steeltii 1571.

Scripsit & *tabulas compendiosas in Euang. & Epistolas quæ per totam Quadragesimam populo proponi solent*, concionatoribus omnibus summopere vtiles, & necessarias.

Conciones in Euang. & Epistolas quæ Dominicis Festisque diebus in Ecclesia proponuntur.

Excudit præterea *libros tres de Oeconomia sacra circa pauperum curam à Christo instituta, Apostolis tradita, & in vniuersa Ecclesia, inde ad nostra vsque tempora, perpetuâ Religione obseruata; cum quarundam propositionum, quæ huic Sacræ Oeconomiæ aduersantur, Confutatione.* Floruit anno 1570.

Te mea Terpsichore Laurenti dicere tentans
Obruta materiæ fertilitate tacet.

LEONARDVS COQVÆVS natione Gallus, patria Aurelianensis S.T. Doctor Parisiensis, iam inde à puero felicis indolis, atque ingenii argumenta de-

dit. Docuit publicè primum in Galliâ, deinde in Italiâ, non sine ingenti laude ac famâ; quam auxit exacta Grçcanicç, ac Sacræ linguæ scientia. Eum magni Ducis Hetruriæ coniugi à Sacris confessionibus multos iam annos existentem celebrare fama pergit.

Hostibus eueniat quàm sis animosus in armis
Noscere, & ingenij tela subire tui.

Edidit *Examen Præfationis monitoriæ Iacobi primi Magnæ Britanniæ & Hiberniæ Regis, Præmissæ apologiæ suæ pro Iuramento fidelitatis. In quo examine refellitur, & Apologia ipsa Regis, & summi Pontificis Breuia ad Catholicos Anglos defenduntur, impressum* Friburgi Brisgogæ apud Ioannem Strasserum.

Commentaria eius in libros S. Aug. de Ciuitate Dei sunt Parisiis edita.

LIPPVS BRANDOLINVS, Vide AVRELIVS BRANDOLINVS.

LVDOVICVS AB ANGELIS Lusitanus Vir Egregius, Scripsit *De Rebus Ord. S. Patris Augustini.* Et quçdam alia habet præ manibus.

LVDOVICVS BERGA Lusitanus, quem Posseuinus DE BEIA, vocat, PALÆSTRELVS, Theologiæ partem eam quæ definitè de virtutibus atque vitiis agit, casusque (vt aiunt) conscientiæ tractat, eruditè propositis sententiis suis est complexus: quç quidem eius responsa coram Pastoribus & Presbyteris qui à sacris confessionibus sunt per menses singulos coram Reuer. Cardinale Palæoto Archiepiscopo Bononiensi proponebantur.

Editus

Editus est liber Bononiæ anno 1587. apud Alexandrum Benacium. postremam emisit editionem anno 1591. Venetijs apud Iacobum Cornetum auctam duobus breuibus ac perutilibus Tractatibus: *Altero de contractibus Liuellarijs: altero de venditione rerum fructuosarum ad terminum.*

Brixiæ autem anno 1589.

LVDOVICVS HVRTADO è PENALOSA, vir eruditus, & pius, Mexici noua in Hispania, elegantissimè scripsit ad Christophorum Ord. Priorem Generalem librum *de Incremento, & vtilitate Ordinis Augustiniani in India noua Hispania*, incipit. Etsi mihi longè. Floruit anno 1568.

LVDOVICVS LEGIONENSIS Hispanus, Regni Bardulorũ (vulgò Castellæ) diuino vir ingenio, literis Latinis, Græcis, Hebraicis, doctissimus, ac præter excellentem cujusuis generis doctrinæ cognitionem, in explanandis Sacræ Scripturæ libris vehementer ab omnibus commendatus, in Salmanticensi Academia, quæ eum doctoris insignibus donauit, sacrorum librorum Interpres primarius, edidit

De vtriusque agni typici, atque veri immolationis tempore.

In Cantica Canticor. triplicem Explanationem, exstat Salmanticæ apud Guilielmum Foquel. Anno 1589.

Item D. Dionysij Areopagitæ exemplo doctè de diuinis nominibus disseruit.

Scripsit quoque *Comment. in Abdiam Prophetam.*

Item in *Epistolam ad Galatas*. exstant supradicta omnia apud eundem Foquel & eodem anno.

Scripsit quoque *in Psalm.* 26. *Dominus illuminatio mea* ad Illust. & Reuerendiss. Gasparum Quiroga Archiepiscopum Toletanum, & S. R. E. Cardinalem.

Item de *Quaestionibus Theologicis opus praelibauit*, alium vero perfecisse accepimus. Floruit anno 1560.

Doctorum legione Primipilus
Famâ Iudice Ludouicus audit;
Qui fortis Latiam praeit cohortem,
Qui Graecam vigil exit ante taxin,
Qui ducit simul Ordines Hebraeos,
An stipendia terna non meretur?

LVDOVICVS MARSILIVS, Vide ALVISIVS MARSILIVS.

LVDOVICVS à MONTOIA Hispanus, Castellanus, vir moribus integerrimis & facundus Concionator, qui multis annis in Lusitania Prioris Generalis vices obiit: Sermone Hispanico scripsit. *Ex quatuor Euang. vitam Christi, in modum Soliloquiorum animae ad Deum*, Et alia opuscula Spiritualia. Vixit anno Dom. 1538.

M

MARCVS ANTONIVS DE CAMOS Hispanus, Prior Barcinonensis, in lucem edidit magnum volumen, in tres partes distributum, quod suo idiomate nuncupauit, Microcosmia y gobierno vniuersal del hombre Christiano para los todos Estados y qual quiera de ellos.

Inscriptum Excellentiss. Domino Antonio de Çardo-

Cardona Duci Sessæ &c. Regis Catholici Romę legato. Barcinone, an. 1592.

MARIANVS è GENASSANO Romanus patriâ Zinizanensis, Theologicis rebus ita doctus fuit, vt qui maximè; idemque de loco superiore ad populum verba faciens, maximo concursu, plausu, fructuque est auditus. De hoc Ven. Patre. I. Bergō. ait in Chron. *Marianus vir erat Theol. præstantißimus suo æuo* tanquam Lucifer & Sol *quidam præfulgidus, suis exquisitißimis declamationibus*, & nouo *concionandi genere enituit, ac veluti alterum Electionis* Vas Mundo *oblatus, tantam ingenij vim & docendi robur ostendit, vt dicere ausim neminem in hoc sæculo inueniri vnquam potuisse, qui cum exquireret comparari. De quo etiam præclarè admodum loquuntur Angelus Politianus & Laurentius Medices*, Hic tandem Romæ Prior Generalis designatus, & ab Alexandro VI. Pont. Max. ad Fredericum Regem Neapolitanum affinitatis ineūdæ gratia missus, reuertens, Suessæ non sine magna Reipub. Christianæ iactura decessit. Quanta autem in Mariano doctrina, quanta eloquentiæ vis, ac maiestas fuerit, partim sermonibus, partim etiam Epistolis & Orationibus eius eruditissimis facile vnusquisque potest colligere. Eum hoc Epitaphio prosequutus est Pamphilus.

Qualis Alphei liquidos ad amnes,
Siue Mæandri viridante ripâ
Concinit serum moriens in ipso
Funere Cygnus;
Talis ad plectrum, thyasosque Diuûm
Ludit in Cælo Marianus, ipsa
Morte victurus Marianus, ipso
Funere felix.

MARTINVS à CORBENIS Tolosanus, variâ scien-

 tiarum

tiarum supellectile instructissimus fuit: adeoque litteris humanis ac diuinis excelluit, vt æuo suo ceteris facilè præstiterit, scripsit super arte veteri, lib. 1.

Super Priora Aristotelis lib. 2.
Super Posteriora eiusdem lib. 2.
Super Elenchos lib. 2.
De Medio Demonstrationis lib. 1.
In Physicam Aristotelis lib. 8.
De Generat. & Corrupt. lib. 2.
De Paruis Naturalibus lib. 1.
In Canonem Bibl. lib. 1.
In Cantica Canticorum lib. 1.
In Paulum ad Rom. lib. 1.
Sermones ad Clerum & Populum lib. 2.
Super Sententias lib. 4.
De Summa Trinitate lib. 1.
De Fide Catholica, lib. 1.
In Decretalem de Celebratione Missarum lib. 1. & alia quædam.

Floruit an. Domini 1330.

Magna prait quantum gracilem corbita phaselum,
Hoc tantum reliquis præstitit ingenium.

MARTINVS CORDVBENSIS Hispanus, vir in quo dubites pietatemné admireris, an doctrinam: primum in Gallia Tolosanum Gymnasium, deinde Salmanticense in Hispaniâ, summâ auditorum frequentiâ, plurimos annos magna cum laude rexit: qua tempestate Episcopatum Pacensem, qui ei crebrius offerebatur, summâ animi demissione recusauit: cumque totis viribus animi ac corporis in sacras conciones vir pius incumberet, sanctæque vitæ exem-

exemplo plusquam verbis auditorum animos ad virtutem accenderet, adeò rem Christianam promouit, vt multi spretis mundi voluptatibus, ad saccum & cinerem versi, præteritorum scelerum dolorem testarentur: qui tantum se omnium animis insinuauerat, vt eum parentis loco haberent, & sanctissima eius monita non possent non optimè interpretari. Eius viri memoriam viuaciorem scripta reddunt

Expositio in tria prima Cap. Geneseos.
Comment. in omnes D. Pauli Epistolas.
Quæstiones super easdem, omnes Epistolas.
Expositio in Apoc. B. Ioannis.
Hortus nobilium Virginum, Isabellæ Reginæ.
De laude Virginitatis, puellis Religiosis dicatus.

Floruit an. 1470. Obijt Vallisoleti, & in Ecclesia Ord. sepultus iacet.

Hic etiam mitræ fuit auersatus honores:
Dignus erat mitris non tamen ille minus.

MARTINVS HERRADIVS, siue de Errada, Hispanus, Pampellone ortus, liberalibus artibus expolitus, ac præsertim Mathematicis valde eruditus, sacræ nostræ Religionis quondam in Insulis Philippinis Prouinciam magnâ laude administrauit. Eum Philippus secundus Rex Hispaniarum ad Chinensem Regem Oratorem misit. Composuit linguâ Chinensi

Grammaticam Idioma Chinense discere volentibus.

Item eiusdem linguæ Dictionarium copiosissimum in vsum eorum religiosorum, qui Chinensium conuersioni volunt intendere.

Grandia quam paruo constant, dum sermo Chinensis
Ad vera fidei dogmata sternit iter!

MARTINVS NIGER, Gallus, edidit libellum linguâ Gallicâ, *Le Tableau Racourci de l'homme interieure, & de l'ame hereticque* impressum Rhotomagi anno 1605.

MARTINVS VLLATE, Estellæ Cantabriæ oppido illustri familiâ Viamontẽsium ortus, consilioque regis Nauarræ præfectus, seculum res suas habere iubens, Augustinianæ Religioni nomen dedit, in qua tantum incrementi accepit pietatis & doctrinæ, vt summo Pontifici à sacris concionibus fuerit. Scripta eius ne superessent temporum iniuria fecit.

MATTHÆVS PATAVINVS Theologus Parisiensis, apud Clementem VI. Pont. Max. Auenione, non mediocris auctoritatis, *sermones plures ac varios* reliquit. Exstabant Veronæ M. SS. in nostra Bibliothecâ.

MELCHIOR DAELHEMIVS natione Belga, patria Eburo, in Oppido Hassellensi natus, bonam ætatis partem erudiendæ Iuuentuti dedit in Gymnasio Bruxellensi. Edidit

Libellos duos Panegyricos carmine conscriptos pro Gymnasio Bruxellensi, Alterum ad amplissimum Senatum Bruxellensem, Alterum ad Clarissimum Virum Dominum Folcardum van Achelen.

Si quantum meus vrget amor te carmine laudem,
Ilias est laudis longa futura mea.

MELIDONIVS CORIOLANVS, & ANTONIVS SICVLVS Itali,

Egregiis

Egregijs poëmatibus exornarunt *Donati Marra Augustiniani Enarrationes omnes in Hymnos, qui cantantur in Ecclesia, secundum morem S. R. E. Et religiosorum Ordinum SS. Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, & Carmelitarum.*

MICHAEL MANICHES (fortassis MANRIQVES) Valentinus, Hispanus: Ecclesiæ Vsellensis in Sardiniâ Insulâ Episcopus, qui ius canonicum & Theologiam diu Valentiæ ac deinceps Ilardæ professus, cum vir memoria ad miraculum sic valuisse scribatur, vt vniuersa biblia ipsumque ius Canonicum recitare sine libris posset, ac pleraque scripsisse dicatur, quæ auidè exspectabantur, hoc in loco intexitur, vt qui eius scripta, quæ nos latent assequuti fuerint, ea ne velint diutius luce priuare.

Cæsar, & Euxina valeat Rex barbarus ora,
Hic vnus memori Biblia mente tenet.

MICHAEL è MASSÂ Hetruriæ Oppido, subtilis vir ingenii, multæ lectionis, ac raræ doctrinæ, idemque Ecclesiastes celeberrimus, qui obiit anno 1336. die 20. Maij, Scripsit, quæ pleraque Antonius Posseuinus se vidisse refert apud nostros Patauij M. SS.

Super Sententias lib. 4.
In Esaiam Prophetam lib. 1.
In Euang. Matthæi lib. 1.
In Euang. Marci lib. 1.
In Euang. Lucæ lib. 1.
In Euang. Ioannis lib. 1.
De Vita Christi lib. 1.
De Passione Domini lib. 1.
De quatuor Virtutibus lib. 2.

Sermones varios lib. 1.

De tribus virtutibus diuinis lib. 1.

De Meritis & Efficacia bonorum operum lib. 1.

Parisijs anno 1336. die 20. Maij feliciter obijt & in templo S. Augustini est sepultus.

Quanta per innumeros meritorum MASSA *labores*
Sedibus æthereis MASSA *parata tibi est!*

MICHAEL SALONIVS Hispanus Theologiæ doctus, & morum grauitate venerandus

Scripsit *de Iustitia & Iure.*

Item Hispano Sermone Vitam B. Thomæ à Nouauilla Archiepiscopi Valentiæ sanctimoniæ plenam.

N.

NICASIVS BAXIVS natione Belga, domo Antuerpiâ,

Cornelij Valerij Rhetoricam in vsum discipulorum versibus interstinxit.

Grammaticam, Syntaxin, & Prosodiam Græcam è diuersis concinnauit.

Poëmatum suorum siluam breui in lucem dabit.

NICOLAVS AB AQVAPENDENTE, natione Italus, Dirrachij Archiepiscopus, vir exquisitæ doctrinæ omnibusque mortalibus ingenita quadam animi lenitate, & affabilitate carissimus. Scripsit

De Baptismo, lib. 1.

De Peccato Originali lib. 1.

De Inferno, Limbo & Purgatorio lib. 3.

De Pœnitentia lib. 1.

De Mercatura & Negotiatione lib. 1.

De

De Sortilegijs, & vanis persuasionibus lib. 1.
De Euitanda Ingratitudine lib. 1.
De Festis Sanctorum lib. 1.
Quadragesimale lib. 1.
Sermones quoque lib. 1.
Viuebat anno 1460.

Qui molles aditus, & mores quaris amœnos,
Hâc in Pendenti mista videbis Aquâ.

NICOLAVS BARIANVS Italus, patriâ Placentinus, Theol. & iuris Pontificij consultissimus, nata dubitatione circa præcedendi Ordinem inter nostros, & Fratres Minores, causam primum accuratissimè disputauit: Quare per iuris consultos, ita iudicibus discernentibus, pro Ordine nostro sententia lata fuit. Exin eandem controuersiam scripto diffusè tractauit, librumque euulgauit, quem Raphaeli S. R.E. Cardinali inscripsit, titulo *Causa vitaliana de pracedentia Eremitarum, & Minorum, Cremona* ann. 1500. Incipit *Quaritur an Ordo noster Eremitarum D. Augustini de communi iuri. &c.*

Scripsit etiam *Quadragesimale pranotatum,*
Quodlibeta 70. *septem Quaestionum Pradicabilium,*
Bononiæ anno 1501.

Causa leuis magnas interdum prodidit artes:
Sic tua monstrauit se Bariane themis.

NICOLAVS ROMACHNANVS è Cariniano Taurinensis, liberaliter doctus fuit, & in habendis ad plebem Sermonibus maximè copiosus, ac disertus.

Alberti Patauini Sermones qui M. SS. in Bibliothecis exstabant, typis subdi curauit, nec non *pulcherrimâ*

mâ præfatione doctisque obseruationibus expoliuit. Obiit Romæ Prior Monasterij Sanctæ Mariæ de Populo an.1540.

NICOLAVS SCVTELLIVS Tridentinus, trium linguarum Hebrææ, Græcæ, & Latinæ peritissimus, ac vir probè Religiosus, qui primus *Iamblicũ philosophum de Mysterijs AEgyptiorum, & Pythagorica Dogmata* in Latinum sermonem transtulit. Scripsit multa quæ à varijs suppilata fuerunt: audio tamen pleraque eius volumina exstare in Arce Tridentina. Ait Posseuinus se vidisse impressos illius *Sermones egregios, de Passione Domini: & elegantissimam Orationem funebrem in Obitum Cardinalis Tridentini.* Decessit Tridenti die 28. Aprilis, an. 1542. in Æde S. Marci sepultus.

Fercula Nicolaus triplici fert condita Lance,
Et triplici profert è regione simul:
Sed (dolor!) Harpya nonnulla turpiter vnca,
Nil talem Ambrosiam contemerare timent.

NICOLAVS VERONENSIS Italus, vir in diuinis litteris insigniter exercitatus, qui primò Bononiensi, deinde Veronensi monasterio præfuit, ac postmodum in vtroque vices Præpositi Generalis obiuit, Monasticæ disciplinæ longè obseruantissimus, *vitam S. Nicolai Tollentini scripsit carmine heroico.* Varias item *Cantiones Musicas.* Decessit Fossæ Clodiæ, in Patriam rediens, die 28. Nouemb. an. 1514. ætatis suæ an. 46. Sepultus est Veronæ in Templo nostro quod est S. Euphemiæ sacrum.

O.

O.

OCTAVIVS MANFREDI, Italus S.T. Doctor Concionator celebris, *laudauit Henricum IIII. Franciæ & Nauarræ Regem Oratione Funebri* Lugduni Italico Sermone habita, quę postea ob elegantiam Gallico sermone prælo mandata fuit.

ONVPHRIVS OSTECVTVS natione Italus, Patriâ Florentinus Theologus, & Concionator insignis, quique ob vitæ probitatem atque doctrinam à populo Florentino acclamatus Episcopus, ac deinceps à Bonifacio IX. Pont. Max. approbatus, reliquit commentarios in quatuor Euangelistas,

In acta Apostolorum.

In primum lib. Mag. Sent.

Sermones ad populum. Exstant Perusij in Cœnobio D. Augustini. Sepultus est Florentiæ in Peristylio S. Spiritus, in marmoreo sepulcro, hac inscriptione.

HIC IACET R.D.M. FRATER, MAGNVS THEOLOGVS, EPISCOPVS FLORENTINVS, anno Domini 1403.

Meminit eiusdem Onuphrij Michael Poccianitius in Catalogo Scriptorum Florentinorum.

Ipse quidem nobis Onuphri Phosphorus esto:
Sic tamen vt Titan sit comes iste tuus.

ONVPHRIVS PANVVINIVS, Veronensis Ord. D. Augustini, superiori vixit ætate, Vir ingentis lectionis, quem Paulus Manutius *Historiarum Helluonem* appellabat. Hic cum Historiam Ecclesiasticam, & profa-

profanam indefesso labore penè omnem peruoluisset, rerumq; seriem, ac tempora memoriæ, qua plurimùm valebat, mandasset, magno fuit adiumento Scriptoribus, qui deinceps exstitere; licet si, qui in flore ætatis decessit, diutius vixisset, pleraque alia absoluisset, ac quæ emiserat, diligentius adhuc, hoc æuo erudito recognouisset. Nos vt litterariæ Reip. consuleremus, perquisiuimus dudum, quinam extarent eius labores, atque adeo quinam delitescerēt, vt & suus illi honor constaret, atque si qui inde desumpsissent, legitimum Auctorem aperirent. Hactenus Posseuin.

Libri Onuphrij Pannuuinij, qui prodierunt è prælis.

Epitome Pontificum Romanorum à Sancto Petro vsque ad Paulum IV. Gestorum, videlicet,

Electionisque singulorum, & Conclauium compendiaria narratio.

Cardinalium item nomina dignitatum tituli, insignia, legationes, patria, & situs. Venetijs anno 1557.

Platina restitutus, de vitis Pontif. cum sexaginta ad eas Adnotationes, & additione Pontif. à Sixto IV. vsque ad Pium IV. Qui tamen labor, vt adhuc recognitione indigebat, Sanctæ Sedis Apostolicæ mandato delata est eius recognitionis cura viris eruditis, quam exspectamus.

De præcipuis vrbis Romæ sanctioribus Basilicis, quas septem Ecclesias vulgo vocant, liber. Coloniæ an. 1584.

Eiusdem de primatu Petri, & Apostolicæ sedis potestate, libri tres. Venetijs apud Franc. Franciscium an. 1591.

Chronicam Ecclesiasticum à C. Iulij Cæsaris Imperio, vsq; ad Imperatorem Cæsarem Maximilianum II. Coloniæ apud Maternum Cholinum ann. 1568.

De

De antiquo ritu baptizandi Catechumenos, & de origine benedicendi imagines cereas, quæ Agnus Dei vocantur, lib. 1. De Sybillis. Chronicon, Ord. Eremitanorum à D. Aug. tempore, vsque ad an. 1550.

Interpretatio multarum vocum Ecclesiasticarum, quæ obscuræ, vel barbaræ habentur, lib. 1.

De ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos, & eorum Cemeterijs, lib. 1.

De Stationibus Vrbis Romæ, lib. 1.

Fasti & Triumphi Romanorum à Romulo, vsque ad Carolum V. Imp. additis Impp. Occidentalium & Orientalium iconibus. Venetijs an. 1557.

Commentarij Reipubl. Romanæ libr. 3. Venetijs anno 1558.

Commentarius de Triumpho. Venetijs anno 1571.

Commentarij in Fastos Consulares. ibidem.

Ciuitas Romana, Venetijs an. 1558.

Viginti septem Pontif. Rom. elogia, & imagines accuratissimè ad viuum æneis typis delineatæ.

Libri quatuor de Romanis Impp. Græcis & Latinis: Deque ijs, qui summum habuere Imperium in Italia, Gothis, Longobardis, Francis, Germanis, Hispanis, & alijs Nationibus, cum eorum Genealogijs & Arboribus à Cæsare, vsque ad Ferdinandum Imp. Liber de ludis Circensibus cum æneis iconibus apud Ciottum. Venetijs an. 1602.

Qui libri prodiere manuscripti, sed non fuere excusi.

Quinque libri de Comitijs Imperatorijs, quibus expenduntur varij, atque adeo omnes modi eligendorum Impp. à Cæsare, vsque ad Maximilianum II. cum Institutione septem Electorum Imperij. Extant Monachij in Bauarica Bibliotheca.

De Ecclesia, Baptisterio, & Patriarchio Lateranensi.
Historia Familiæ Frangipaniæ libris quatuor.
Historia Familiæ Sabellæ libris quatuor.
Historia Familiæ Maximorum libro vno.
Historia Familiæ Cenciorum, libris duobus.
Historia Familiæ Matthæorum.

Qui Libri absoluti, sed non emissi.

De origine septem Sacrorum Ordinum liber vnus.

Collecta è viginti libris spiritualibus, siue Cerimonialibus de Sacrificio missæ, à Christi Domini tempore vsque ad millesimum, & trecentesimum annum: vnà cum plerisque declarationibus rerum Ecclesiasticarum, Stationum, Indulgentiarum siue Condonationum, Interpretatione quoque rerum, seu verborum à Scriptoribus Ecclesiasticis vsurpatorum.

De Dignitate Sedis Apostolicæ, & de Potestate Summi Pontificis contra Centuriatores hæreticos. Quæ & inscripta est Historia Ecclesiastica.

Quinque libri de Creationibus Summorum Pontif. Deque morte ipsorum, interregno, legibus eâ de re sancitis à D. Petro, vsque ad Pium IV.

De Origine Cardinalatus.

Chronicon Ecclesiasticum Summorum Pontif. Impp. Patriarcharum, Conciliorum, Virorum sanctitate ac doctrina illustrium.

Vitæ Patriarcharum quatuor primarum sedium.

Libri decem de antiquis, & recentioribus Ecclesijs, Monasterijs, Oratorijs, Cæmeterijs, & alijs pijs locis Vrbis Romæ.

Breue Iudicium de Historicis antiquis Latinis, & Græcis.

De antiquis Vrbis Romæ ædificijs.

De Antiquorum superstitione, sacrificijs, augurijs, Haruspicijs, sortibus, sacris Epulis.

De Porticibus vnà cum tribus millibus inscriptionis Romanis,

Libri decem de Antiquitate, & Historia Virorum illustrium Veronæ suæ Patriæ.

Libri partim delineati, partim semiabsoluti, partim absoluti, sed non recogniti.

De antiquis institutis, ritibus, ceremonijs, & vsibus Ecclesiæ Romanæ.

De Antiquis Officijs, & Magistratibus vrbis Romæ.

Breuis collectio Conciliorum Generalium, & Prouincialium.

Vita Archiepiscoporum, & Primatuum primariarum Ecclesiarum occidentis, Aquileiæ, Gradus, Rauennæ, Mediolani, Moguntiæ, Treuiris, Coloniæ, Toleti, Canturberij, Senonensis, Lugduni, Carthaginis, & eiusmodi aliarum.

Historia Ordinis Eremitanorum, & de Origine aliorum Ordinum Religiosorum qui sunt apud Christianos.

Historia Ecclesiastica Vniuersalis.

Breuiarium Imperij Romani, cum ijs, quæ Pace bellóue gesta sunt Romæ, & foris à Romulo vsque ad Iustinianum Imp.

Volumen quo vniuersus mundi status describitur, tam ijs quæ ad Religionem, quã ad Politiam spectãt. Itaque & de sectis, hæresibus, Ethnica Impietate de vera autem Religione in primis, Mox de falsis, siue aboletis, Iudaica, Mahometana, & alijs. Deinde & de Imperijs, Regnis, Rebus publicis, Prouincijs, Bellis inter eas, opibus, dependentijs, vt vocant, origine vniuscuiusque Principatus.

Decessit autem anno 1568. Pridie octa-

uo Aprilis, anno ætatis suæ 39. Panormi, cum Alexandrum Farnesium Cardin. S. R. E. Procancellarium, eò in Siciliam fuisset prosecutus, cui erat acceptissimus. Extat eius effigies ad viuum expressa ex ære in Ecclesia S. Augustini, cum Epitaphio inciso in nigro marmore ab eius amicis exstructo.

Vidit vt ONVPHRI *iam lumina morte natare*
Musa cui historica nomina laude fluunt:
At tibi fatalis clamat tristisque Panorme
Historia tollis quæ mihi grande iubar;
Ipsa memor quoties fueris morientis ONVPHRI
Ex oculis lacryma fluminis instar eant.

P

PAVLVS BERNRIEDTENSIS Germanus, *vitam Gregorij Papæ* VII. *duobus libris complexus est*, citatur à Nicolao Sandero lib. 7. de visibili Monarchia.

Auentinus Annalium Boiorum lib. 5. se librum eiusdem *Apologeticum* legisse fatetur.

PAVLVS GENAZENSIS Italus, vir linguarum peritia, & multiiuga scientia clarus, *Pauli Veneti summam Philosophiæ naturalis librariorum incuriâ* deprauatam restituit.

PAVLVS è SANCTO GENESIO Picenus Theol. & Episcopus Heleneapolitensis, Abbas Cauarum, Placentiæ Diœcesios edidit

Tractatus duos, vnum de perfectione Iustitiæ, alterum de excellentia Charitatis. Obiit Mediolani sepultúsque est in Diuæ Mariæ coronatæ, quod est Ord. nostri, iuxta maius altare.

PAVLVS

PAVLVS LVMIVS natione Italus, patriâ Bergomensis, antiquorum Patrum apprime gnarus, vnaque regulis iuris Pontificij eruditissimus, opimum Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ Bergomensis, cum humili veste S. Augustini permutare satius ratus, ad animę salutem expeditè procurandam, ipsam etiam Canonum Professionem quam faciebat insimul reliquit. Cõposuit libellos quosdam diuino sale conditos, ad Christophorum Maurum Venetorum ducem.

De Spirituali Ascensu in Deum lib. 1.

De Laudibus præsentis vitæ lib. 1.

De Norma & Regula Pœnitentium lib. 1.

De Spirituali Viridario Sponsarum Christi lib. 1.

De Floribus Eremiticis lib. 1.

De Apologia Ordinis, Guilielmo Rothomagensi Cardinali dicata lib. 1.

De Vita S. Monicæ, Ioanni Senensi Episcopo Massano, & Sixti Papæ Sacristæ dicata lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Mariæ de Genua lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Mariæ de Albericis è Como lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Helenæ de Vtino lib. 1.

Sermones quoque varios lib. 1.

Item Romæ vbi erat Prior sanctæ Mariæ de Populo, Doctoris Augustini Anconitani librum de *Potestate Ecclesiastica*, librariorum incuriâ corruptum, restituit.

Decessit Cremonæ septuagenario maior, cum præfectus esset nostro Monasterio. anno salutis 1494.

Inuitant tituli suaues vt odoribus horti:
Si cortex; quid non ipsa medulla dabit?

PAVLVS ROMANVS, in Basilicâ S. Petri à Sacris Confessionibus, Theol. venerabilis, ac vtriusque iuris Doctor egregius, præter *librum confessionum* à se editum scripsit

De vsu Clauium.

Orationes coram Pont Max. habitas.

Plures *item Sermones. De Ecclesiastica pensione.* Vide Tractatus iuris. Tom. 15. p. 1, fol. 309. recusos ante non multos annos, nouissimè Venetijs. Sed Romæ editus est anno 1539. Obiit Romæ senex, in Templo S. Augustini sepultus.

Viuebat anno 1474.

PAVLVS VENETVS Italus, quem alii CRETENSEM vocant Theol. ac Philosophus celeberrimus, Præses Prouincialis, ac in Gymnasio Patauino humanarum diuinarumque litterarum publicus professor, edidit

Contra Iudæos lib. 1.

Summam de Naturalibus lib. 1.

Sermones de Tempore lib. 1.

Sermones de Sanctis lib. 1.

Sermones in Quadragesimam lib. 1.

De Conceptione Virginis lib. 1.

De Incarnatione Dei lib. 1.

De Excellentia Verbi Dei lib. 1.

Super Sententijs lib. 4.

Super libros Physicorum lib. 8.

Super libros de Generat. & Corrupt. lib. 2.

Super libros de Anima lib. 3.

Super Metaphysicam lib. 13. Tecum sapientissime.

Summam Philosophiæ Naturalis lib. 6. Plurimorum.

De Compositione Mundi, qui Astronomiæ Ianua nuncupari potest lib. 1. De Circulis componentibus.

Super

Super lib. Porphyrij lib. 1.
Super prædicamenta lib. 1.
Super libros Posteriorum lib. 2.
Logica parua.
Logica magna.
Quadraturam circuli.
Super Consequentijs Strodi.

Ad compendium retulit *doctas Ioannis de Ripa Doctoris in primum Sentent. librum explicationes.*

Iacobus Bergomensis, vbi meminit huius viri, inter cetera narrat, nominatissimum in vniuersâ Italiâ fuisse habitum, cunctosque, Dialecticos, Philosophos, ac suæ ætatis Theologos sine controuersiâ superasse. Huic eidem Paulo Veneto attribuit Posseuinus lib. de *Notitia Dei*, & de *Condendo Christiano Testamento* de *ortu & Progressu sui Ordinis.*

Explicationem Dantis Aligerij Poëtæ Florentini. Citat hunc Franciscus Sansouinus. Obijt Patauij. Eius Epitaphium in Sacrario Templi nostri exstat

HIC IACET S. T. DOCTOR CLARISSIMVS, ET THEOLOGORVM MONARCHA, MAGISTER FR. PAVLVS DE VENETIIS, ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI, QVI OBIIT ANNO DOMINI 1429 DIE 15. IVNII.

Dum rogo quem tecum valeam componere Paule,
En mox attonito sic mihi fama refert:
Desine scrutari nec temet in omnia verte:
Cui ita? respondit: non habet ille parem.

PAVLVS VENETVS Neotericus scripsit librum *de Pontificiâ potestate*

PAVLVS è VERONA Theologus, & Conciona-

 tor,

tor, edidit *Sermones de Festis diebus, & Sermones per Aduentum Domini.* incipiunt. Felix hic dies. addit autem Eisingr. eum scripsisse quoque *volumen contra Iudæos:* Vixisse verò an. 1395.

PAVLVS ZABARELLA Patauinus, cognomento BONVS, in Patauinâ Ecclesia suffraganeus Cardinalis Cornelij, scripsit ad Clementem VII. Pont. Max. *de reformatione Ecclesiæ.* Liber M. S. Exstabat in Bibliothecâ Vaticanâ. Scripsit etiam in 7. *Psalmos Pœnitentiales, & Orationes aliquot.* Obijt Pataiuj anno 1525. die 25. Iulij.

Epitaphium quod composuit Franciscus Sauonarola, Poëta Patauinus.

Doctus adit Cælum facundo carmine Flaccus
Et Stella, Euganei lumen vterque soli.
Nomen ad æthereum Patauî lux mittit olympum
Romanæ Princeps Liuius historiæ.
Quantum alijs igitur numeris, aut ore soluto
Antenor debet, tam Zabarella tibi.

PEREGRINVS NASELLVS Patauinus, Theologus insignis, *viginti sex assertiones, & dubia quædam obscura, & implexa sacræ Scripturæ explicuit, & respondit aduersus 40. & vnum impios Lutheri articulos.* Scripsit item *de fide implicita & de informi & formata, & de eius Origine causaque efficiente, & quomodo fideles exaltat & reddit eos sapientes ac iuuat, & roborat. Insuper de operibus exterioribus breuiter octo conclusionibus quædam complexus est, in quibus Hæreticorum nodos apud eos obscuros, & insolubiles soluit & in lucem promit. De legibus humanis, quantum & quomodo obligent. De potestate Summi Pont. & Concilij comparatione ad inuicem.* Quæ omnia egomet mihi adlegi, & propterea hic in

nostris

nostris hisce lucubrationibus, non censui omnino tacenda. Obijt Nasellus Patauij nonagenario maior anno 1556. Hæc Ioseph. Pamph.

Iste licet Patauî Peregrinus in Vrbe Nasellus
Perfricuit nasum Saxo Luthere tuum.

PETRVS ARAGONIVS Hispanus, Vir magnanimus, qui pro Ecclesia Catholica nō paucos labores exantlauit. Scripsit

In secundam secundæ D. Thomæ de fide,
Spe, & Charitate.
Item de Iustitia, & Iure.

Posterius opus dedicauit Illustrissimo, ac Excellentissimo Principi Francisco à Stunica Domino Ver[illegible]ensi &c. Venetijs impressum anno 1595. Extat apud Societatem minimam. In suo ad Lectorem prologo promittit super cæteras huius secundæ partis quæstiones Commentaria.

PETRVS AVRELIANVS Venetus, & nobili Sanutorum prosapiâ trahens originem, præstante vir ingenio, quique Philosophiæ & litteris sacris multum temporis tribuit. Edidit librum in primis vtilem cōtra teterrimam Lutheranam Hæresim. Cui *titulus est, Soli Deo; siue oppugnatio Lutheranæ doctrian.* Parisijs apud Ioannem Focherium anno 1550. Viuebat anno 1555.

Euganeas etiam celebres hic reddidit oras,
Dum stolidam docto conficit ore feram.

PETRVS AVILA, Prior Conuentus nostri Toletani, scripsit *Conciones plures de SS. Eucharistiæ Sacramento.*

PETRVS è BALNEO Theologus insignis scripsit

tractatum de Virtutibus. Item & alium qui *Summa de Planctu Ecclesiæ* prænotatur. Qui tractatus exstant Romæ in Bibliotheca Canonicorum Sancti Petri.

PETRVS ITALVS ex oppido Bruniquello, Ciuitatis nouæ in Latio Episcopus, vir diuinis scripturis eruditissimus, & secularium litterarum minime rudis, ingenio præstans, eloquio clarus. Edidit magnæ vtilitatis plura opuscula, quibus memoriam sui posteris reliquit. E quibus feruntur. In gratiam Cardinalis de Rengaxio, *opus quoddam insigne, in quo omnes noui & veteris testamenti Historias ad alphabeti ordinem redegit, & in singulas materias disposuit.* Cuius initium: *Abstinentes Deus voluit esse primos parentes.* Exstat Romæ, & Florentiæ in Bibliothecis nostri Ordinis, & Viennæ in Biblioth. Imperatoris.

Item Super Sententias, lib. 4.

Item in Prouerbia, in Ecclesiasten, in Cantica Cant. Salomonis egregia Commentaria quin & vniuersa ferme *Biblia eximijs expositionibus illustrasse aiunt*, Tritemius, atque Iacob. Bergomas.

Ordo facem præfert, res quælibet ordine constat;
Hoc vt clareret Pagina Sacra, dedi.

PETRVS DONATVS AB ARETIO, Theologus & Concionator egregius, *edidit opus eruditum in Euangelia, quæ à die Cinerum vsque ad Pascha in Ecclesia recitantur. Quadragesimale nominatum.* Concinnauit quoque *Sermones Funebres*, in quibus multa, & piè, & doctè de arte bene moriẽdi, ac de cælesti vita tractat. Quæ Romæ custodiuntur manuscripta in Monasterio sancti Augustini. Vixit anno Domini 1320.

Tu Donate quidem non infima dona dedisti,
Si nobis eadem lux rediuiua daret.

PETRVS MAINANVS Mediolanensis, Theologus & Concionator egregius, Composuit *Sermones de temporibus*, qui hodie asseruantur Mediolani in bibliotheca S. Marci pulcherrimis characteribus manuscripti.

Exprimat insignis quantumuis scripta character,
Praestabit melius pluribus illa typus.

PETRVS MALON Hispanus S.T.D.

Scripsit *librum Hispanico sermone de Maria Magdalena, complectentem, eius Statum peccati, Statum Poenitentiae, & Gratiae.*

Scripsit quoque *duos tractatus, alterum de S. Petro, Alterum de S. Ioanne Apostolis, quorum in Magdalena prologo mentionem facit.*

PETRVS PATERSHVL (non is qui in Indice librorum prohibitorum continetur) Vir omni litteraturâ instructus, Fide Catholicus, & sacris Scripturis eruditus

Quatuor libros Sentent. P. Lombardi exposuit.
Postillas de tempore, & SS. per annum, scripsit.
Sermones quoque plures cum elegantes, tum doctos edidit. Claruit an. 1360.

PETRVS ROBINI Episcopus Hipponensis, fuit & doctrinâ & sanctitate in Gallia celebris, cuius *sermones ad populum* exstant Tolosae in bibliotheca ordinis.

E tenebris profer quae fallunt scripta Tolosa,
Non vni Petrus credidit illa loco.

PETRVS RVBEVS Senensis, Philosophus, & Theologus insignis atque Academiarum ordinis rector & Magister. Scripsit

Annotationes multas super libros Logicæ & Philosophiæ Aristotelis.

Item in Magistrum Sentent.

Item Super libros D. Augustini de Ciuitate Dei, quæ in Bibliothecis Ordinis habentur.

Petre rubes: credo, manifesta est causa pudoris,
Digna pelo, tenebris quòd tua scripta latent.

PETRVS SPIRA, natione Germanus, vir in diuinarum Scripturarum studium (vt Auctor est Tritemius) propensissimus; etiam liberalium artium valde peritus, ingenio præstans, & disertus eloquio, ac in habendis ad populum sermonibus præcipuæ famæ. Scripsit

Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
Super libros Ethicorum lib. 8.
& alia multa.

Mens alta Spirat motibus SPIRÆ *sacris,*
Supraque sese fertur, ac solum premens
Ducit caducum quidquid est terrâ satum.

PETRVS VEGA Lusitanus S. T. Doctor Scripsit *Hispanico sermone opus prolixum, & egregium in septem Psalmos pœnitentiales*; in vnumquemq; versum habet tractatus quinque vel sex, quandoque septem & octo, diuisitque in tres tomos. addidit *& quartam partem, quæ complectitur ea, quæ in tribus Tomis dicta sunt, applicatque hæc Euangelijs festisque diebus in Ecclesia celebrari solitis, ad vsum Concionatorum.* Secundum Tomum dedicauit Petro Manriquez Episcopo Tortosano Ord. nostri Religioso.

Fun-

Fundentem lacrymas dum scribis Vega Dauidem,
Credo tuas lacrymis immaduisse genas.

PETRVS e VENÂ Tololanus, XXII. Magister Ord. nostri Generalis, Theologicis disciplinis eruditissimus, Concilio Oecumenico Constantiensi interfuit, in eoque doctrinæ & pietatis specimen maximique ingenij reliquit. Vnà cum ipso interfuere præstantissimi Theologi, Nicolaus Saracenus Episcopus Recanatēsis, Ioannes Foroliuiensis, Ioannes è Pratis Augustiniani, & alij.

Scripsit Super Ethica Aristotelis lib. 10.
Quodlibeta Tolosana lib. 2.
Vitas Sanctorum lib. 1.
De Perfectione hominis lib. 4.
Expositionem Decretalis lib. 1.
De quadruplici instinctu lib. 1.
De Origine sui Ordinis lib. 1. atque alia.

Huius ab ore viri mellita flumina linguæ
Cum biberet, nunquam est Gallia visa satur.

PETRVS DE VZEDA Guerrero, in Salamanticensi Academia sacrarum litterarum interpres, appositissimè digessit, *præclarum sacrarum concionum volumen Thomæ à Villanoua Augustiniani, & Archiepiscopi Valentiæ duobus tomis distinctum,* videlicet

De Tempore.
Et de Sanctis.

Præmisit operi, *Vitam eiusdem Thomæ à Villanoua, à Ioanne Magnatouio Segobiensi Episcopo conscriptam.* Quod quidem volumen Excellentissimo Principi Gonsalo Ferdinando Cordubæ, ac Sesæ Duci est inscriptum, & Compluti apud Ferdinandum Ramires anno

no 1581. excusum Postea Brixiæ, recusum anno Domini 1603.

PETRVS VVALDERAMA Hispanus S. T. Doctor Prouinciæ Beticæ Præses Prouincialis, Concionator disertissimus, Edidit

Conciones in Dominicas anni.

Item & in Festa totius anni Tomos.2.

Item in totam Quadragesimam Tomos 2.

In octauam S. Sacramenti volumen vnicum.

Item Mariale duobus Tomis comprehensum.

Habuit Orationē in Beatificatione B. Ignatij Loiolæ. Idiomate Hispanico omnia ista in lucem emisit: sed eorum recondita Elegantia mouit primò G. *Chappuys Regis Christianißimi Interpretem*, vt eadem Gallicâ phrasi redderet: Quod cum moliretur, *A. Simeon Theologiæ Doctor Parisiensis, Ordinis Prædicatorum*, etiam eidem versioni manum feliciter admouit, & perfecit. Neque idcircò ipse *Chappuys* ab incœptis destitit, sed suam etiam prosecutus versionem in lucem ire pariter curauit.

Et praes, & scriptis excellis, & ore diserto
Verba facis, viuum posthuma fama canet.

PHILIBERTVS, quem alij cognomento HARESSE, Iosephus autem Pamphilus, HAKESCHE vocat Origine, Cœnobio, & facultate Parisiensis Theologus, edidit *Commentarios breues ac dilucidos in Epistolam D. Pauli ad Rom. in qua*

Post exactam expositionem Apostolicæ mentis, definitiones quoque vocum difficiliorum, & diuersarum significationum acceptiones, Authoritates item ex veteri testamento, siue 70. interpretum, siue Hebraicæ Veritatis; quas interdum sequitur Apostolus lucidißimis annotationibus explicauit. Parisijs ann. 1536.

1536. apud Ioannem Paruum. Obijt Parisijs Prior Cœnobij. 1545. die 21. Augusti.

Quâ situs vrbe, satus, voui, laurumque recepi,
Et lucem Paullo per mea scripta dedi.

PHILIPPVS GROPPANTES Florentinus Theologus, *concionum suarum volumen* sat grande reliquit. Exstabat Pisis in Hetruria in Ord. nostri Cœnobio. Viuebat annno 1486.

PHILIPPVS cognomento LOMBARDVS, patriâ Mantuanus, Doctor Parisiensis, *Commentarium scripsit in Apocalypsim.* Viuebat anno 1510.

PHILIPPVS VENETVS, Theol. Venerandus, librum scripsit in primis vtilem, quem prænotauit *Estote parati.* Exstabat Ferrariæ M.S. in Biblioth. S. Andreæ. Viuebat anno 1460.

R.

RADCLIFFVS ANGLVS, quem Posseuinus vocat RADELYFF, Theol. ac deinceps Leicestriensis in cuius comitatu natus fuerat, Episcopus, vir ingenio admodum fæcundo, & amplo, rebusque magnis idoneo, composuit

Lecturas Scholasticas lib. 1.
Pro Introitu Sententiarum lib. 1.
Conciones ad vulgum lib. 1.

Anglia Doctorum si scriberet ipsa cohortem,
In primâ posses fronte tenere locum.

RADVLPHVS MARHAM Anglus, Nordouolgas, in Cantabrigiensi Academiâ Doctorum albo adscri-

scriptus, habitus est inter Theologos per eam tempestatem illustres, in omni namque scientiarum genere excellebat, ac præsertim Historiarum erat scientissimus. scripsit, *manipulum chronicorum libris septem.*

Indices amplos in eadem Chronica libr. 2. est complexus.

Scripsit Concionum lib. 1.

In prædicto Chronicorum manipulo videre licet omnium rerum Origines atque incrementa, Regnorumque initia & mutationes, gentium mores, & successus varios. Claruit anno Domini 1360.

Sume nouam lucem, prior est lux reddita: namque
Quisquis in historiâ, degere luce solet.

RAYMVNDVS AB ALTOPONTE Gallus, publicus Sacræ Scripturæ Professor in Academiâ Parisiensi, scripsit in *omnes D. Pauli Epistolas Commentaria*, quæ Parisiis exstabant in Bibliot. Ord. nostri Viuebat anno 1402.

REINARDVS è LAVDENBVRCH Germanus Theol. eruditione insignis, & Vir admodum religiosus, ac in concionibus ad populum disertus, edidit *Sermones de Paßione Domini diebus quadragesima aptatos.* Norimbergæ an. 1501.

RICHARDVS CHEFER Anglus, è Comitatu Nordouolgiæ, qui vt Ioannes Lelandus refert, Iuuenis eximiæ spei, Monasticæ vitæ exempla studiosè obseruabat; quare Nordouicum petiit Ciuitatem nobilem, in qua societati nostræ est aggregatus; adeoque religiosi hominis partes adamussim egit, vt nec

nec curiosus obseruator quispiã in eo potuisset aliquid desiderare: deinde Cãtabrigiam studẽdi gratiâ adiuit, ac postmodum concionandi munere excelluit, cui rei testimonium perhibent eiusdem

Sermones elegantes lib. 1. Buccinate in Neometria tuba.

De Natiuitate Christi lib. 1. Paruulus natus est nobis.

De quatuor Nouissimis lib. 1. Fili memorare nouissima tua.

Collationes plures lib. 1.

Claruit anno Domini 1400.

Pauper es: at censu, tamen est si nominis omen,
Diuitis ingenij te probat esse virum.

RICHARDVS PAMPOLITANVS Anglo saxo, vir sinceræ pietatis, & eruditionis, Scripsit *In Psalterium compendiosam expositionem.* Magna spiritualis iucunditas.

Scripsit *etiam libellum peculiarem in psalmum* 20. Domine in virtute.

Item *in lectiones quæ in suffragijs mortuorum ex 7. & 10. capite Iob Leguntur* lib. 2.

In Threnos Hieremiæ lib. 1.

Claruit anno 1420.

ROBERTVS VVALDEBY, vir raræ scientiæ, ex Angliâ, in qua lucem primùm accepit, cum Eduardo Nigello Principe Fortunato Gallias petiit. Dein Tolosę, quæ vrbs est Galliæ Narbonensis, Philosophiæ vacauit, postmodum in Theologię studium incubuit, quo facilè palmam reliquis præripuit, eoque deuenit excellentiæ, vti Doctorum Princeps eâ tempestate censeretur, linguarum quoque peritiâ atque elo-

uo Aprilis, anno ætatis suæ 39. Panormi, cum Alexandrum Farnesium Cardin. S. R. E. Procancellarium, eò in Siciliam fuisset prosecutus, cui erat acceptissimus. Extat eius effigies ad viuum expressa ex ære in Ecclesia S. Augustini, cum Epitaphio inciso in nigro marmore ab eius amicis exstructo.

Vidit vt ONVPHRI *iam lumina morte natare*
Musa cui historica nomina laude fluunt:
At tibi fatalis clamat tristisque Panorme
Historia tollis quæ mihi grande iubar;
Ipsa memor quoties fueris morientis ONVPHRI
Ex oculis lacryma fluminis instar eant.

P

PAVLVS BERNRIEDTENSIS Germanus, *vitam Gregorij Papæ* VII. *duobus libris complexus est*, citatur à Nicolao Sandero lib. 7. de visibili Monarchia.

Auentinus Annalium Boiorum lib. 5. se librum eiusdem *Apologeticum* legisse fatetur.

PAVLVS GENAZENSIS Italus, vir linguarum peritia, & multiiuga scientia clarus, *Pauli Veneti summam Philosophiæ naturalis librariorum incuriâ* deprauatam restituit.

PAVLVS è SANCTO GENESIO Picenus Theol. & Episcopus Heleneapolitensis, Abbas Cauarum, Placentiæ Diœcesios edidit

Tractatus duos vnum de perfectione Iustitiæ, alterum de excellentia Charitatis. Obiit Mediolani sepultúsque est in Diuæ Mariæ coronatæ, quod est Ord. nostri, iuxta maius altare.

PAVLVS

PAVLVS LVMIVS natione Italus, patriâ Bergomensis, antiquorum Patrum apprime gnarus, vnaque regulis iuris Pontificij eruditissimus, opimum Canonicatum Cathedralis Ecclesiæ Bergomensis, cum humili veste S. Augustini permutare satius ratus, ad animę salutem expeditè procurandam, ipsam etiam Canonum Professionem quam faciebat insimul reliquit. Cõposuit libellos quosdam diuino sale conditos, ad Christophorum Maurum Venetorum ducem.

De Spirituali Ascensu in Deum lib. 1.

De Laudibus præsentis vitæ lib. 1.

De Norma & Regula Pœnitentium lib. 1.

De Spirituali Viridario Sponsarum Christi lib. 1.

De Floribus Eremiticis lib. 1.

De Apologia Ordinis, Guilielmo Rothomagensi Cardinali dicata lib. 1.

De Vita S. Monicæ, Ioanni Senensi Episcopo Massano, & Sixti Papæ Sacristæ dicata lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Mariæ de Genua lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Mariæ de Albericis è Como lib. 1.

De Vita, & Miraculis B. Helenæ de Vtino lib. 1.

Sermones quoque varios lib. 1.

Item Romæ vbi erat Prior sanctæ Mariæ de Populo, Doctoris Augustini Anconitani librum de *Potestate Ecclesiastica*, librariorum incuriâ corruptum, restituit.

Decessit Cremonæ septuagenario maior, cum præfectus esset nostro Monasterio. anno salutis 1494.

Inuitant tituli suaues vt odoribus horti:
Si cortex; quid non ipsa medulla dabit?

PAVLVS ROMANVS, in Basilicâ S. Petri à Sacris Confessionibus, Theol. venerabilis, ac vtriusque iuris Doctor egregius, præter *librum confessionum* à se editum scripsit

De vsu Clauium.

Orationes coram Pont Max. habitas.

Plures *item Sermones. De Ecclesiastica pensione.* Vide Tractatus iuris. Tom. 15. p. 1, fol. 309. recusos ante non multos annos, nouissimè Venetijs. Sed Romæ editus est anno 1539. Obiit Romæ senex, in Templo S. Augustini sepultus.

Viuebat anno 1474.

PAVLVS VENETVS Italus, quem alii CRETENSEM vocant Theol. ac Philosophus celeberrimus, Præses Prouincialis, ac in Gymnasio Patauino humanarum diuinarumque litterarum publicus professor, edidit

Contra Iudæos lib. 1.

Summam de Naturalibus lib. 1.

Sermones de Tempore lib. 1.

Sermones de Sanctis lib. 1.

Sermones in Quadragesimam lib. 1.

De Conceptione Virginis lib. 1.

De Incarnatione Dei lib. 1.

De Excellentia Verbi Dei lib. 1.

Super Sententijs lib. 4.

Super libros Physicorum lib. 8.

Super libros de Generat. & Corrupt. lib. 2.

Super libros de Anima lib. 3.

super Metaphysicam lib. 13. Tecum sapientissime.

Summam Philosophiæ Naturalis lib. 6. Plurimorum.

De Compositione Mundi, qui Astronomiæ Ianua nuncupari potest lib. 1. De Circulis componentibus.

Super

Super lib. Porphyrij lib. 1.
Super prædicamenta lib. 1.
Super libros Posteriorum lib. 2.
Logica parua.
Logica magna.
Quadraturam circuli.
Super Consequentijs Strodi.

Ad compendium retulit *doctas Ioannis de Ripa Doctoris in primum Sentent. librum explicationes.*

Iacobus Bergomensis, vbi meminit huius viri, inter cetera narrat, nominatissimum in vniuersâ Italiâ fuisse habitum, cunctosque, Dialecticos, Philosophos, ac suæ ætatis Theologos sine controuersiâ superasse. Huic eidem Paulo Veneto attribuit Posseuinus lib. de *Notitia Dei*, & de *Condendo Christiano Testamento* de *ortu & Progressu sui Ordinis.*

Explicationem Dantis Aligerij Poëtæ Florentini. Citat hunc Franciscus Sansouinus. Obijt Patauij. Eius Epitaphium in Sacrario Templi nostri exstat

HIC IACET S. T. DOCTOR CLARISSIMVS, ET THEOLOGORVM MONARCHA, MAGISTER FR. PAVLVS DE VENETIIS, ORD. EREMITARVM S. AVGVSTINI, QVI OBIIT ANNO DOMINI 1429 DIE 15. IVNII.

Dum rogo quem tecum valeam componere Paule,
En mox attonito sic mihi fama refert:
Desine scrutari nec temet in omnia verte:
Cur ita? respondit: non habet ille parem.

PAVLVS VENETVS Neotericus scripsit librum de *Pontificiâ potestate*

PAVLVS è VERONA Theologus, & Conciona-

tor, edidit *Sermones de Festis diebus, & Sermones per Aduentum Domini.* incipiunt. Felix hic dies. addit autem Eisingr. eum scripsisse quoque *volumen contra Iudæos:* Vixisse verò an. 1395.

PAVLVS ZABARELLA Patauinus, cognomento BONVS, in Patauinâ Ecclesia suffraganeus Cardinalis Cornelij, scripsit ad Clementem VII. Pont. Max. *de reformatione Ecclesiæ.* Liber M. S. Exstabat in Bibliothecâ Vaticanâ. Scripsit etiam in 7. *Psalmos Pœnitentiales, & Orationes aliquot.* Obijt Patauij anno 1525. die 23. Iulij.

Epitaphium quod composuit Franciscus Sauonarola, Poëta Patauinus.

Doctus adit Cælum facundo carmine Flaccus
Et Stella, Euganei lumen vterque soli.
Nomen ad æthereum Patauî lux mittit olympum
Romanæ Princeps Liuius historiæ.
Quantum alijs igitur numeris, aut ore soluto
Antenor debet, tam Zabarella tibi.

PEREGRINVS NASELLVS Patauinus, Theologus insignis, *viginti sex assertiones, & dubia quædam obscura, & implexa sacræ Scripturæ explicuit, & respondit aduersus 40. & vnum impios Lutheri articulos.* Scripsit item *de fide implicita & de informi & formata, & de eius Origine causaque efficiente, & quomodo fideles exaltat & reddit eos sapientes ac iuuat, & roborat. Insuper de operibus exterioribus breuiter octo conclusionibus quædam complexus est, in quibus Hæreticorum nodos apud eos obscuros, & insolubiles soluit & in lucem pro- mit. De legibus humanis, quantum & quomodo obligent. De potestate Summi Pont. & Concilij comparatione ad inuicem.* Quæ omnia egomet mihi adlegi, & propterea hic in

nostris

nostris hisce lucubrationibus, non censui omnino tacenda. Obijt Nasellus Patauij nonagenario maior anno 1556. Hæc Ioseph. Pamph.

Iste licet Patauî Peregrinus in Vrbe Nasellus
Perfricuit nasum Saxo Luthere tuum.

PETRVS ARAGONIVS Hispanus, Vir magnanimus, qui pro Ecclesia Catholica nõ paucos labores exantlauit. Scripsit

In secundam secundæ D. Thomæ de fide,
Spe, & Charitate.
Item de Iustitia, & Iure.

Posterius opus dedicauit Illustrissimo, ac Excellentissimo Principi Francisco à Stunica Domino Ver[illegible]ensi &c. Venetijs impressum anno 1595. Extat apud Societatem minimam. In suo ad Lectorem prologo promittit super cæteras huius secundæ partis quæstiones Commentaria.

PETRVS AVRELIANVS Venetus, & nobili Sanutorum prosapiâ trahens originem, præstante vir ingenio, quique Philosophiæ & litteris sacris multum temporis tribuit. Edidit librum in primis vtilem cõtra teterrimam Lutheranam Hæresim. Cui *titulus est, Soli Deo; siue oppugnatio Lutheranæ doctrian.* Parisijs apud Ioannem Focherium anno 1550. Viuebat anno 1555.

Euganeas etiam celebres hic reddidit oras,
Dum stolidam docto conficit ore feram.

PETRVS AVILA, Prior Conuentus nostri Toletani, scripsit *Conciones plures de SS. Eucharistiæ Sacramento.*

PETRVS è BALNEO Theologus insignis scripsit

tractatum de Virtutibus. Item & alium qui *Summa de Planctu Ecclesiæ* prænotatur. Qui tractatus exstant Romæ in Bibliotheca Canonicorum Sancti Petri.

PETRVS ITALVS ex oppido Bruniquello, Ciuitatis nouæ in Latio Episcopus, vir diuinis scripturis eruditissimus, & secularium litterarum minime rudis, ingenio præstans, eloquio clarus. Edidit magnæ vtilitatis plura opuscula, quibus memoriam sui posteris reliquit. E quibus feruntur. In gratiam Cardinalis de Rengaxio, *opus quoddam insigne, in quo omnes noui & veteris testamenti Historias ad alphabeti ordinem redegit, & in singulas materias disposuit.* Cuius initium: *Abstinentes Deus voluit esse primos parentes.* Exstat Romæ, & Florentiæ in Bibliothecis nostri Ordinis, & Viennæ in Biblioth. Imperatoris.

Item Super Sententias, lib. 4.

Item in Prouerbia, in Ecclesiasten, in Cantica Cant. Salomonis egregia Commentaria quin & vniuersa ferme *Biblia eximijs expositionibus illustrasse aiunt*, Tritemius, atque Iacob. Bergomas.

Ordo facem præfert, res qualibet ordine constat;
Hoc vt clareret Pagina Sacra, dedi.

PETRVS DONATVS AB ARETIO, Theologus & Concionator egregius, *edidit opus eruditum in Euangelia, quæ à die Cinerum vsque ad Pascha in Ecclesia recitantur. Quadragesimale nominatum.* Concinnauit quoque *Sermones Funebres*, in quibus multa, & piè, & doctè de arte bene moriēdi, ac de cælesti vita tractat. Quæ Romæ custodiuntur manuscripta in Monasterio sancti Augustini. Vixit anno Domini 1320.

Tu Donate quidem non infima dona dedisti,
Si nobis eadem lux rediuiua dater.

PETRVS MAINANVS Mediolanensis, Theologus & Concionator egregius, Composuit *Sermones de temporibus*, qui hodie asseruantur Mediolani in bibliotheca S. Marci pulcherrimis characteribus manuscripti.

Exprimat insignis quantumuis scripta character,
Præstabit melius pluribus illa typus.

PETRVS MALON Hispanus S.T.D.

Scripsit *librum Hispanico sermone de Maria Magdalena, complectentem, eius Statum peccati, Statum Pœnitentiæ, & Gratiæ.*

Scripsit quoque *duos tractatus, alterum de S. Petro, Alterum de S. Ioanne Apostolis, quorum in Magdalenæ prologo mentionem facit.*

PETRVS PATERSHVL (non is qui in Indice librorum prohibitorum continetur) Vir omni litteraturâ instructus, Fide Catholicus, & sacris Scripturis eruditus

Quatuor libros Sentent. P. Lombardi exposuit.
Postillas de tempore, & SS. per annum, scripsit.
Sermones quoque plures cum elegantes, tum doctos edidit. Claruit an. 1360.

PETRVS ROBINI Episcopus Hipponensis, fuit & doctrinâ & sanctitate in Gallia celebris, cuius *sermones ad populum* exstant Tolosæ in bibliotheca ordinis.

E tenebris profer quæ fallunt scripta Tolosa,
Non vni Petrus credidit illa loco.

PETRVS RVBEVS Senensis, Philosophus, & Theologus insignis atque Academiarum ordinis rector & Magister. Scripsit

Annotationes multas super libros Logicæ & Philosophiæ Aristotelis.

Item in Magistrum Sentent.

Item Super libros D. Augustini de Ciuitate Dei, quæ in Bibliothecis Ordinis habentur.

Petre rubes: credo, manifesta est causa pudoris,
Digna polo, tenebris quòd tua scripta latent.

PETRVS SPIRA, natione Germanus, vir in diuinarum Scripturarum studium (vt Auctor est Tritemius) propensissimus; etiam liberalium artium valde peritus, ingenio præstans, & disertus eloquio, ac in habendis ad populum sermonibus præcipuæ famæ. Scripsit

Sermones de tempore, lib. 1.
Sermones de Sanctis lib. 1.
Super libros Ethicorum lib. 8.

& alia multa.

Mens alta Spirat motibus SPIRÆ *sacris,*
Supraque sese fertur, ac solum premens
Ducit caducum quidquid est terrâ satum.

PETRVS VEGA Lusitanus S. T. Doctor Scripsit *Hispanico sermone opus prolixum, & egregium in septem Psalmos pœnitentiales*; in vnumquemq; versum habet tractatus quinque vel sex, quandoque septem & octo, diuisitque in tres tomos. addidit *& quartam partem, quâ complectitur ea, quæ in tribus Tomis dicta sunt, applicatque hac Euangelijs festisque diebus in Ecclesia celebrari solitis, ad vsum Concionatorum.* Secundum Tomum dedicauit Petro Manriquez Episcopo Tortosano Ord. nostri Religioso.

Fun-

Fundentem lacrymas dum scribis Vega Dauidem,
Credo tuas lacrymis immaduisse genas.

PETRVS e VENÂ Tolosanus, XXII. Magister Ord. nostri Generalis, Theologicis disciplinis eruditissimus, Concilio Oecumenico Constantiensi interfuit, in eoque doctrinæ & pietatis specimen maximique ingenij reliquit. Vnà cum ipso interfuere præstantissimi Theologi, Nicolaus Saracenus Episcopus Recanatēsis, Ioannes Foroliuiensis, Ioannes è Pratis Augustiniani, & alij.

Scripsit Super Ethica Aristotelis lib. 10.
Quodlibeta Tolosana lib. 2.
Vitas Sanctorum lib. 1.
De Perfectione hominis lib. 4.
Expositionem Decretalis lib. 1.
De quadruplici instinctu lib. 1.
De Origine sui Ordinis lib. 1. atque alia.

Huius ab ore viri mellita flumina linguæ
Cum biberet, nunquam est Gallia visa satur.

PETRVS DE VZEDA Guerrero, in Salamanticensi Academia sacrarum litterarum interpres, appositissimè digessit, *præclarum sacrarum concionum volumen Thomæ à Villanoua Augustiniani, & Archiepiscopi Valentiæ duobus tomis distinctum,* videlicet

De Tempore.
Et de Sanctis.

Præmisit operi, *Vitam eiusdem Thomæ à Villanoua, à Ioanne Magnatouio Segobiensi Episcopo conscriptam.* Quod quidem volumen Excellentissimo Principi Gonsalo Ferdinando Cordubæ, ac Sesæ Duci est inscriptum, & Compluti apud Ferdinandum Ramires anno

no 1581. excusum Postea Brixiæ, recusum anno Domini 1603.

PETRVS VVALDERAMA Hispanus S. T. Doctor Prouinciæ Beticæ Præses Prouincialis, Concionator disertissimus, Edidit

Conciones in Dominicas anni.
Item & in Festa totius anni Tomos. 2.
Item in totam Quadragesimam Tomos 2.
In octauam S. Sacramenti volumen vnicum.
Item Mariale duobus Tomis comprehensum.
Habuit Orationẽ in Beatificatione B. Ignatij Loiola. Idiomate Hispanico omnia ista in lucem emisit: sed eorum recondita elegantia mouit primò G. *Chappuijs Regis Christianißimi Interpretem*, vt eadem Gallicâ phrasi redderet: Quod cum moliretur, *A. Simeon Theologiæ Doctor Parisiensis, Ordinis Prædicatorum*, etiam eidem versioni manum feliciter admouit, & perfecit. Neque idcircò ipse *Chappuijs* ab incœptis destitit, sed suam etiam prosecutus versionem in lucem ire pariter curauit.

Et praes, & scriptis excellis, & ore diserto
Verba facis, viuum posthuma fama canet.

PHILIBERTVS, quem alij cognomento HARESSE, Iosephus autem Pamphilus, HAKESCHE vocat Origine, Cœnobio, & facultate Parisiensis Theologus, edidit *Commentarios breues ac dilucidos in Epistolam D. Pauli ad Rom. in qua*

Post exactam expositionem Apostolicæ mentis, definitiones quoque vocum difficiliorum, & diuersarum significationum acceptiones, Authoritates item ex veteri testamento, siue 70. interpretum, siue Hebraicæ Veritatis; quas interdum sequitur Apostolus lucidißimis annotationibus explicauit. Parisijs ann. 1536.

1536. apud Ioannem Paruum. Obijt Parisijs Prior Cœnobij. 1545. die 21. Augusti.

Quâ situs vrbe, satus, voui, laurumque recepi,
Et lucem Paullo per mea scripta dedi.

PHILIPPVS GROPPANTES Florentinus Theologus, *concionum suarum volumen* sat grande reliquit. Exstabat Pisis in Hetruria in Ord. nostri Cœnobio. Viuebat annno 1486.

PHILIPPVS cognomento LOMBARDVS, patriâ Mantuanus, Doctor Parisiensis, *Commentarium scripsit in Apocalypsim.* Viuebat anno 1510.

PHILIPPVS VENETVS, Theol. Venerandus, librum scripsit in primis vtilem, quem prænotauit *Estote parati.* Exstabat Ferrariæ M.S. in Biblioth. S. Andreæ. Viuebat anno 1460.

R.

RADCLIFFVS ANGLVS, quem Posseuinus vocat RADELYFF, Theol. ac deinceps Leicestriensis in cuius comitatu natus fuerat, Episcopus, vir ingenio admodum fæcundo, & amplo, rebusque magnis idoneo, composuit

Lecturas Scholasticas lib. 1.
Pro Introitu Sententiarum lib. 1.
Conciones ad vulgum lib. 1.

Anglia Doctorum si scriberet ipsa cohortem,
In primâ posses fronte tenere locum.

RADVLPHVS MARHAM Anglus, Nordouolgas, in Cantabrigiensi Academiâ Doctorum albo adscri-

nec curiosus obseruator quispiã in eo potuisset aliquid desiderare: deinde Cãtabrigiam studẽdi gratiâ adiuit, ac postmodum concionandi munere excelluit, cui rei testimonium perhibent eiusdem

Sermones elegantes lib. 1. Buccinate in Neometria tuba.

De Natiuitate Christi lib. 1. Paruulus natus est nobis.

De quatuor Nouissimis lib. 1. Fili memorare nouissima tua.

Collationes plures lib. 1.

Claruit anno Domini 1400.

Pauper es: at censu, tamen est si nominis omen,
Diuitis ingenij te probat esse virum.

RICHARDVS PAMPOLITANVS Anglo saxo, vir sinceræ pietatis, & eruditionis, Scripsit *In Psalterium compendiosam expositionem.* Magna spiritualis iucunditas.

Scripsit *etiam libellum peculiarem in psalmum* 20. Domine in virtute.

Item *in lectiones quæ in suffragijs mortuorum ex 7. & 10. capite Iob leguntur* lib. 2.

In Threnos Hieremiæ lib. 1.

Claruit anno 1420.

ROBERTVS VVALDEBY, vir raræ scientiæ, ex Angliâ, in qua lucem primùm accepit, cum Eduardo Nigello Principe Fortunato Gallias petiit. Dein Tolosę, quæ vrbs est Galliæ Narbonensis, Philosophiæ vacauit, postmodum in Theologię studium incubuit, quo facilè palmam reliquis præripuit, eoque deuenit excellentiæ, vti Doctorum Princeps eâ tempestate censeretur, linguarum quoque peritiâ atque elo-

eloquentiâ multis præstitit. Ad hæc Theologiam professus cum esset, primò quidem Episcopus Cadurcensis in Aquitaniâ, deinde Dublinensis Archiepiscopus est creatus anno 1395. Denique Eboracensis Archiepiscopus, anno exacto renunciatus est. Diuini sui ingenij monumenta reliquit

Lecturas Sententiarum lib.4.
Quæstiones Ordinarias lib.1.
Quodlibeta varia lib.1.
Contra VVicleuistas lib.1.
Sermones per annum lib.1.

& alia plura.

Cum tua Pierios lassent encomia currus,
Discipulum fieri me sine Pythagoræ.

ROBERTVS VVORSOP Anglus, Is (vt narrat Ioannes Lelandus) in Eboracensi Comitatu natus, inque Augustinianorum Ticullensis pagi Cœnobio, quod non ita distat à Doncastrio, educatus, post Theologici Doctoratus insignia ad Episcopatus apicem euectus, animabus sibi creditis indefessè concionatus fuit. Composuit

Introitum Sententiarum lib.1.
Scholast. quæstiones lib.1.
Sermones vulgares lib.1. & alia. Claruit an. Dom. 1360.

RODERICVS S. CRVCIS Lusitanus, vir omni doctrina expolitus, summâque Religione præditus, quem Emanuel Lusitaniæ Rex plurimũ est veneratus, Vlyssipone vbi litteras humanas & diuinas docuit, *lectiones in Aristotelem & Magistrum* sententiarum scripsit, quæ in bibliotheca Vlyssipon. custodiuntur,

Non

Non fugient, tenebris modò docta volumina profer,
Non fugient, luci bibliotheca dato.

RODERICVS DE SOLIS Hiſpanus, è Regno Bardulorum, vir egregiè religioſus & ſacris litteris non vulgariter doctus, à PIO V. Pont. Max in Regno Valentiæ, Aragoniæ, & Cantabriæ Corrector, & vicarius Generalis conſtitutus, præclaram Ordini famam conciliauit. Scripſit *Tractatum de arte Seruiendi Domino Deo in duas partes diſtributum.*

ROGERVS GLASTON in Angliæ Mediterraneæ Hungtyngtonenſi Comitatu natus Cantabrigenſis Academiæ Scholaſticus Doctor, Prouincialis in Angliâ Præſes, cuius perſępe meminit honoris cauſſa Robertus Sariſdurienſis Epiſcopus, eumque ſæpenumero de maximis Eccleſiæ negotijs interpellat, cuique idem Rogerus viciſſim acutè grauiterque reſpondet; cum eſſet ætate iam maturâ, noſtræ Religioni nomen dedit. Scripſit Robertus Epiſtolarum ſuarum lib. 1.

Sermones per annum lib. 1.

Lectiones & Quæſtiones, lib. 1. Obiit Hungtyngtonæ, vbi & ſepultus.

Viuebat anno 1349.

Ingenij monumenta tui ingeſque labores
Effugient auidos magne Rogere rogos.

ROGERIVS TVVIFORDE, aliàs GOODLOVEKE Anglus vir ſpectatæ Religionis, cum diſcendi ſtudio impensè flagraret, Anglicanas pleraſque Academias perluſtrauit, ac Magiſtrorum S. Theologiæ numero poſtmodum adſcriptus, non ex ea tantum facultate, verùm etiam ex concionandi munere, quo

sanè excelluit, laudem est eximiam consequutus: aiunt nonnulli Scripturas insigniter eum tenuisse, & Antiquorum Patrum lectioni identidem multum temporis impendisse, scripsit

Itinerarium mentis in Deum lib. 1. Cum omnis scientia.

Sermones eruditos lib. 1. Veniet desideratus.

Claruit anno 1388.

S.

SEBASTIANVS BROILVS Fanensis, vir innocentissimæ vitæ, & variarum artium notitiâ clarus, librum elaborauit Venetijs, & alibi impressum, cui titulus est:

Conclusiones Catholicæ ex D. Augustini dictis, quibus ostenduntur Lutheranorum mendacia.

Item Christianam institutionem Virtutum & vitiorum, quam Hieronymo Seripando Cardinali dedicauit.

Scribebat etiam *de Antiquitatibus Vrbis Romæ*, sed librum non absoluit morte preuentus.

O nisi parua forent mortalis tempora vitæ!
Quò non humanum scanderet ingenium?

SEBASTIANVS TVSCANVS Lusitanus, Vir disciplinæ Cœnobiticæ studiosissimus, diuinis & humanis litteris eruditus, ac concionandi munere nulli secundus. Edidit *In Ioëlem Prophetam Comment.* quæ præter pietatem, & verum Prophetæ sensum, etiam ad Hæreticorum dogmata exstirpanda, & ad pietatem promouendam, omnibus Concionatoribus plurimum conferunt.

Ecquid

Ecquidin humanis res est pulcherrima rebus
Doctrina insigni qua pietate nitet?

SIMON BARINGVEDVS Tolosanus, Parisiis, quâ in vrbe Doctoris lauream est adeptus, probitatis ergo, & doctrinæ fuit ab omnibus obseruatus. Is ratus id genus doctrinæ, quod Ioannes Apostolus Ecclesiæ post Christum proposuit, Christianæ Theologiæ compendium esse, magno labore est interpretatus, ediditque *in Apocalypsin diuina Comment.* lib. 1.

Item de Trinitate, lib. 1.
De viribus anima, lib. 1.
De Attributis lib. 1.
De Priori & Posteriori lib. 2.
Et opera quadam D.P. Aug. in conclusiones reduxit.
Claruit an. Dom. 1390.

Ingenij penna liquidum super athera fertur,
Ipsum par aquila lumen habere liquet.

SIMON BONONIENSIS Theol. librum edidit cuius titulus est *De Nouo Mundo in tractatus decem diuisum,* Gerraimo Archiepiscopo Capuano & Regni Siciliæ Archicancellario dicatum, cuius initium est, *Dixit qui sedebat in throno, ecce noua:* asseruatur Romæ in Archiuo Ordinis.

SIMON è CAMERINO Concionator excellens fuit nostræque Congregationis montis Ortoni fundator, cuius operâ anno Domini 1454. inter Venetos & Mediolanensem ducem pax inita est. De hoc Simone Egnatius lib. 2. de Exemplis illustrium virorum ita scribit. *Decertarant longo difficilique inter se bello Veneti, & Franciscus Sfortia Mediolanensium dux: quos ad ineundam pacem, neque Pont. Max. auctoritas, neque regum*

Principumque Italiæ preces flectere vnquam potuere, cum Simonetus Camerinas ex Eremitica familia Sfortiæ Duci familiaris & notus, & Venetijs quandoque commoratus, negotium hoc suscepit. Erat autem hic propter vitæ sanctitatem in summo cultu & veneratione. Venetijs igitur soluens Mediolanumque profectus, tentato prius Sfortiæ Ducis animo, cui ille negare nihil est ausus, statim Venetias redit: Principe igitur & Patribus ipsis facilè persuasis, pax inter eos inita est, Vnde hodie cœnobium in stagnu Marianum petentibus exstat, D. Christophoro dicatum, perpetuoque Pacis nomine dicatum: tantum recta religio veraque pietatis cultus in mortalium animis sæpe valet. Hæc Egnatius. Obijt in Conuentu nostro S. Mariæ Montis Ortoni extra mœnia ciuitatis Patauinæ die 9. Martij 1478. ætatis suæ anno 86. & in Ecclesia sepultus iacet vbi legitur

OSSA REVERENDI PATRIS FR. SIMONIS DE CAMERINO ORD. EREM. S. AVGVST. QVI TEMPORIBVS SVIS FVIT CORONA PRAEDICATORVM.

Templum sanè magnificum S. Mariæ Campisancti in oppido Citadella à Patauino milliaribus sexdecim distante construitur, Vbi tabula Marmorea literis aureis obsignata, in qua de eodem Simone, deque eius nobili & ante commemorato facinore, ita legitur.

BELLO GRAVI MAXIMEQVE OMNIVM MEMORABILI, DIV INTER VENETOS AC FRANCISCVM SFORTIAM MEDIOLANENSIVM PRINCIPEM GESTO, MVLTIS VTRIVSQVE ACCEPTIS CLADIBVS, VNIVS OPERA SIMO-

NIS CAMERTIS AVGVSTINIANI EREMIT. EFFECTVM EST, VT PACE VTERQVE POPVLVS DENIQVE FRVERETVR, PATRES GRAVI AVCTORITATE PACIS, hac æde cum duobus præterea locis adictis, datâque tributorum omnium immunitate, donarunt.

Aureus eloquio Camarinus sustulit enses:
Quod vis non potuit Martia, lingua dedit.
Mutua commissis inierunt fœdera dextris
Insubrum Proceres, Euganeique duces.
Neutri bella timent: æterna symbola Pacis
Structa triumphali marmore templa ferunt.

SIMON è CASSIA Hernicorum oppido, quem Raphael Volaterranus dicit *Carsulanum*, Iosephus autem Pamphilus cognomento FIDATVM nominat, spectabili eruditione ac Sanctitate fuit. Eum perhibent Spiritu Prophetico claruisse, vt præter alios habet Sixtus Senensis. Scripsit *Opus insigne quindecim libris distinctum, quibus vniuersam Euangelistarum historiam, sub narrationis vnius ordinem disputatam, iuxta Historicam & Mysticam intelligentiam exposuit*, eius initium est *A bono & super bono.* Coloniæ apud Ceruicorum anno 1540. & alibi.

Item de doctrina Christiana lib. 1.
Item de Vita Christiana ex sententijs Patrum lib. 2.
De Patientia lib. 1.
De Disciplina Spiritualium lib. 1.
De Speculo Crucis lib. 1.
De Conflictu Christiano lib. 1.
Expositiones Symboli lib. 1.
De Vita Eremitica lib. 1.

Epistolarum ad diuersos lib. 1.

Aliosque Tractatus Latinè atque Italicè, & hortationes ad Florentinos, ad Bononienses, ad Senenses, atque ad alias Ciuitates. Decessit Florentiæ, an. 1348. die 2. Feb.

Sunt qui te Casiam grato cognomine dicant:
E scriptis equidem carpitur illa tuis.

SIMON CREMONENSIS, siue de CREMONA, cum diu Venetijs concionibus, magno cum fructu operam dedisset; vt alijs etiam absens prodesset, scripsit librum *vnum Sermonum Festorum totius anni* ad Antonium Presbyterum suum Germanum, incipit: *Leuate capita.*

Alterum super Epistolas. incipit: Abijciamus opera tenebrarum, quæ asseruantur Romæ atque Patauii in Bibliothecis Ord.

Edidit quoque Quæstiones, & Expositiones Sententiarum.

Item quæstionem de Sanguine Christi & de Indulg. Portiunculæ. Obijt Patauij, & in Ecclesia ordinis est sepultus.

Id demum est operæ pretium fecisse disertos,
Si verbis, animos ad meliora trahant.

SIMON TORNAQVITIVS natione Italus, patriâ Florentinus, ab ineunte ætate piè educatus, nostræque familiæ Augustinianæ cum admodum puer esset commendatus, vitæ probitati, bonarum artium studia coniunxit. Scripsit: *Sermones Quadragesimales*, quorum initium est: *Ego Simon Frater*, quos eximia doctrina refertos esse testatur Michael Pocciantius Ord. Seruorum, in Catalogo scriptorum Florentinorum:

norum: *Vitam item S. Monicæ Matris D. Augustini, ex huius libris Confeßionum collectam*, quæ ante sine auctoris nomine in Tomo decimo operum ipsius D. Augustini inserta erat. Sermones eiusdem Tornaquitij, cum vita S. Monicæ M.S. seruantur Florentiæ in Bibliot. S. Spiritus.

SIMON SOTHRAII Anglus Theologus insignis Scripsit

De Ecclesiæ auctoritate lib. 1.
De Sacramento Corporis Dominici lib. 1.
Contra VVicleuistas lib. 1.
Floruit anno Domini 1382.

SPIRITVS ANGOSCIOLVS Vicentinus, Vir prudens & probus & Theologia, Philosophiaque Academica, ceterisque liberalibus disciplinis perpolitus Romæ dum coram Pio V. Pont. Max. & Cardinalibus, Sermones aliquot haberet electissimis verbis, grauissimisque sententijs ornatos atque refertos, in eruditione & dicendi arte non tam specie & opinione vulgi, quàm re & iudicio prudentium, summa cum sui & Ordinis laude primatum obtinuit. Scripsit præter *Orationes plurimas*, *ac sacrorum aliquot poëmatum explicationes*, nonnullos etiam Theologicarum rerum tractatus. Ait Posseuinus se Pataui vidisse apud nostros plures eiusdem *Orationes habitas coram Summo Pont. & in Tridentina Synodo M.SS.*

STEPHANVS RECANATENSIS, à teneris Religionem nostram amplexus, & liberalibus disciplinis efformatus; cum bonis artibus teneretur, tum præsertim Musica, raro exemplo, delectatus fuit. Eam perfectissimè se assecutum testatus est, libro de vocum Symmetria, ac inductione composito, quem in-

scripsit *Recanetum musices* lib. 2. multa præterea ad musicum concentum vtpote *Introit. Miss. Vesper. Antiphon.&c* composuit.

Gratior in fuluo radians carbunculus auro,
Sic in doctorum musica blanda choro.

STEPHANVS EX HVNGARIA Patriarcha Hierosolymitanus, doctrinâ & vitæ integritate celebris, *Edidit doctissimas Conciones.* Scripsit quoque *Super 4. librum Sententiarum.*

SILVESTER MEVCCIVS è Castiliano Aretino, doctor clarissimus, quique Venetijs populo inter concionandum vehementer acceptus, iucundusque fuit, edidit

Admirandam Abbatis Ioachimi Expositionem in lib. Apoc. Ioannis Apostoli, additâ Epistola nuncupatoria ad Cardinalem AEgidium Augustinianum. Opus hoc Venetijs extat impressum, & alia quędam. Decessit Venetiis in insula D. Christophori à Pace. an. 1535.

T.

THADDÆVS PERVSINVS, Philosophus & Theologus in primis excellens, Vir summâ auctoritate, & doctrina, qui multos annos in Academijs Ordinis & publicè in Gymnasio Perusino S. Theologiam est professus, nostræque Religionis Præpositus Generalis fuit: quique Tridenti in publico Ven. Patrum consessu suffragia tulit, & ad ipsos *Oratione docta Christi ascendentis in cælum die* vsus fuit, quæ & Louanij est edita, Scripsit

Duos Tomos explanationum in Isaiam Prophetam, quos & Perusii emisit apud Vincentium Columbarium anno 1598.

Quà

Quà subit exoriens, & quà sol vergit in vndas,
Quò fugit & medium quà rapit axe diem,
Stabit, & æternis committet nomina fastis
Et vacuus nunquam laude Thadæus erit.

THEOBALDVS VERONENSIVM Episcopus, summâ vir innocentia fuit, ac in pauperes liberalitate: idemque peregrinos, maxime Religiosos humanissimè solitus hospitio excipere. Hic quantumuis totos ferè dies negotiis Ecclesiasticis vrgeretur, diuinarum tamen rerum studio si quid suffurari temporis poterat impendebat: tamque árdenti motu & efficacibus sententiis in concionando vtebatur, eamque, quæ regina rerum est omnium, ita Flexanimam ad arbitrium habebat, vt obstinatis etiam saxeoque corde præditis hominibus, lacrymas eius sermo excuteret. Exstant Ven. huiusce viri pietate referti *sermones ad Clerum*, *& populum* Veronæ in Biblioth. Canonicorum. Episcopatu functus est annos 34. Obiitque nonagenarius, lenta febri absumptus, anno salutis 1331.

Saxa pluunt lacrymas THEOBALDI *voce rigata:*
Quid mirum? linguâ fortiùs acta mouent.

THEODORICVS PRIAS Hispanus Theologus, composuit librum titulo.

De Consolatione Ecclesiæ. Argentinæ impressum. Vixit an. 1400.

THEOPHILVS LONGOBARDVS patriâ, oppido Triuiliensi, quod non admodum distat Mediolano, vir in diuinis litteris haud vulgariter exercitatus, quique dum ad populum verba faceret, mirificis omnium studiis est auditus,

Scripsit Sermonum lib.2.

Vnum super Euangelia Quadragesima cuius initium est Cum fides Catholica fateatur.

Alterum in Euangelia à 1. Dominica Aduentus vsque ad Epiphaniam, incipit. Erant filii Israel.

Theophilvs à Vairano Theol. & Philosophus præstantissimus, Romam, vbi disputando iam ante sibi famam collegerat, accitus est, vt publicè Philosophiam profiteretur, ad quod studium magno audientium fauore est aggressus, ac deinceps perfecit. Postea verò in Siciliam nauigauit, inuitatus ab excellentissimo Principe M. Antonio Columnio, vt filio eius Philosophiæ partem eam edissereret, quæ circa naturæ obscuritatem & disputandi subtilitatem occupatur, ibidemque morte quasi repentinâ decessit, & Panormi in templo nostro est humatus. Multa quidem in Theologiam & Philosophiam eaque copiosè scripsit, quæ tamen hucusque tenebris premi videntur.

In mortem ipsius.

Concidit, vt gracili telo cum desit aëdon,
Exstinxit pueri quam violenta manus:
Et canit, & medio finit sua carmina cantu,
Et moriens, ipsam nescit adesse necem.

Thomas ab Argentina natione Germanus, post Gregorium Ariminensem vniuersæ nostræ Religionis curam gessit: qui postquam per omnes disciplinarum gradus ad sapientiæ fastigium contendisset, cum propter summam eruditionem, tum etiam ob insignem pietatem, mirum quam acceptus omni-

omnibus fuerit. Multis hic quidem publicis in Academiis, maximeque Parisiensi, magna sapientiæ laude floruit, publiceque Theologiam est interpretatus. Edidit *Commentarios in Magistrum Sentent. iuxta breues atque perspicuos*, qui primo Ticini in Italiâ, sed deinceps recogniti prodierunt Venetiis anno 1565. ex Officina Iordani Ziletti, Genuæ verò apud Antonium Orerium anno 1585. Scripsit item *Quæstionum è Sacris Scripturis solutiones*. *Sermones autem* qui Tritemio teste, reliquis huius generis scriptis sint præferendi. *Librum Meditationum*. *Epistolas*. *Ord. sui Constitutiones*. Viuebat an. Dom. 1357. Eisingr. ait vixisse ann. salutis 1342.

Omne tulit punctum THOMAS, *cum grande Magistro*
Et decus, & lumen cum breuitate dedit.

THOMAS ASCHEBORNE Staffordiensis, Theol. Oxoniensis. Scripsit *librum Aduersus Trialogum VVicleffi*.

De Identitate in Sacramento lib. 1.
Extractiones ex Augustino lib. 1.
Quæstiones Ordinarias lib. 1.
Replicationum suarum lib. 1.
Lecturas Bibliorum lib. plur.
Sermones lib. 1.

Claruit eo loco, in quo damnatus est VVicleffus.

Hoc bene fecisti tantum vesane Vicleffe
Doctorum vt posset stringere turba stilum.

THOMAS BORSTALE Anglus patriâ Nordouolgiensis, vir si quis alius immortali laude famaque dignus. Is, Thoma Colbio teste, cum in Florentissimis

mis Insulæ Academijs, copiosam eruditionem sibi peperisset, Parisios iter intendit, ibique ad rerum naturalium cognitionem, tam absolutam rerum diuinarum scientiam adiunxit, vt inter Principes Theologos istius Academiæ recensitus sit, publicamque deinceps Cathedram Professoris obtinuerit. Diuini ingenij reliquit argumenta

Lecturam Sententiarum lib. 4.
Ordinarias disceptationes lib. 1.
Quodlibeta Scholastica lib. 1.
& alia plura.

Obiit tandem Nordouici in Augustiniano cœnobio sepultus. Claruit an. 1290.

Hic varijs Thomas Sophiâ de fontibus haustâ
Vt fluuius iunctis in mare fertur aquis.

THOMAS EDVNARSTON Clariensis monasterij alumnus, Oxonij Theologorum est in album relatus. fuit hoc in viro, ad flectendum populum sacris concionibus, energia quædam, & vis singularis. Habuit eundem Florentiæ dux Leonellus à Sacris confessionibus, effecitque vt Archiepiscopatus dignitas ei offerretur. Ingenii partus dedit

Determinationes Theologiæ lib. 1.
Sermones solennes lib. 1.
Lecturas Scholasticas lib. 1.

Obiisse fertur anno salutis 1396. die 20. Maii, atque in Clarensi cœnobio solenniter sepultus.

THOMAS à IESV Lusitanus, anno 1581. Maroci in Africa, præda Barbaris effectus, cum vinculis teneretur, scripsit ad Lusitanos *Epistolam* pari pulchritudine, & vtilitate. Elucubrauit item *Opus de laboribus,*

ærum-

ærumnis, & anxietatibus Domini nostri Iesu Christi duobus Tomis distinctum. Vlyssipone. 1602.

THOMAS PENCKETH Anglus, Varingtonensis Monasterii Alumnus, rarâ Theologiæ scientiâ instructus, acerrimusque disputator, non solum dumtaxat paternum, verumetiam Italiam, pæneque vniuersam Europam celebritate nominis est peruagatus, de quo Ambrosii Corani verba subiicio: *Hic Doctor subtilissimus sic Ioannis Scoti opera mente habet soluta & trita, vt si perdita essent, ea posset facillimè reficere, quæ quidem opera hic elucidauit, emendauit, ac in publicū dedit.* Multos in Philosoph. Dialect. ac Theolog. edidit Tractatus subtilissimos.

Iacobus verò Bergomensis *eam*, inquit, *ob doctrinæ magnitudinem ex Anglia in Italiam vocatus Patauij publico stipendio, diu Sacram Theol. docuit, & vt alter Esdras Hebræus, incredibili memoria præditus, Scoti opera tam exactè retinebat, vt exemplaribus exstinctis reuocare omnia sciret.* In Patriam tandem reuersus, fit Angliæ & Hiberniæ Prouincialis Præses, edidit

Summam Dialectices lib. 1.
Elucidationes Naturalium lib. 1.
Philosophantium præceptiones lib. 1.
Annotationes in Augustinum lib. 1.
De arte Sermocinandi lib. 1.
Actus Magistrales lib. 1.
Lecturam Sententiarum lib. 4.
In Metaphysicam Aristotelis lib. 12.
Placita Theologica lib. 1.
Ordinarias Disputationes lib. 1.
Conciones ad vtrumque statum lib. 1.
Lectiones ad Scotum lib. 1.

& id genus alia. Lōdini tandē obiit, an. à Christi incarna-

carnatione 1487. & in Ecclesia Ordinis sepultus est.

Si Scoti rapiant congesta volumina flammæ,
Hic, qui mox eadem proferat, vnus erit.
Quæritis id quanam fieri ratione docemus?
Perfectè Thomas omnia mente tenet.

THOMAS RADCLYFF Leycestriensis. Scripsit *Lecturas Scholasticas* lib. 1. & Conciones vulgares.

THOMAS STVREA, aliis STVREI, Theologiæ laude claruit, ac inter ætatis suæ viros illustres est habitus. Huic in more positum fuit, quoscumque non ineptos sciebat ad optimarum artium studia vehementer inflammare: quòd in eis thesauri (vt ipse aiebat) incomparabiles delitescerent: Addebatque sibi non videri dignos appellatione hominum, qui ventri, ac inertiæ dediti, rem omnium pulcherrimam scientiam despicatui habent. Felicis ingenii sui dedit argumenta

De Sacramentis lib. 1. Inter opera nostræ salutis &c.
Moralitates in Apoc. lib. 1. Vidi Angelum Dei.
Exceptiones Philosophorum lib. 1.
De vtroque sæculo Prognosticon lib. 1.
Declamationes quasdam lib. 1.

Ad doctas, reliquos, Thoma rapit impetus, artes,
Vna velut plures nexibus ansa trahit.

B. THOMAS VILLANOVANVS, omnis virtutis, & eruditionis viuum exemplar, natione Hispanus, professione S. T. D. Religione Augustinianus fuit, dignitate verò Archiepiscopus Valentinus, & Caroli V. fel. rec. Imperatoris illustris Concionator.

In

In huius S. Viri laudes, si non esset hoc præter institutum, procurrerem equidem liberius: pauca tamen hæc in præsens duxi commemorare. Fuerat in Academia Complutensi Sacram Theologiam antè professus, quàm nostræ Societati Augustinianę nomen daret: sed cum ad amplissima natus videretur, Archiepiscopus Valentinus est creatus; Qua in dignitate, mirum quam sui per omnia similis, id est, Religiosæ consuetudinis memor vixerit. in Orationibus ad Deum, lectione diuinarum litterarum, piisque meditationibus assiduus, nisi quando necessaria proximorum vtilitas interpellabat. in Pauperes, & aduersa oppressos fortunà beneuolentissimus, mireque beneficus, etiam suos-met illis cibos impertiebat, non semel ipse ieiunus persistens: ac si mendicum quempiam inter eundem offendisset, continuò quoad id poterat, & victu, & vestitu liberaliter prosequebatur. Adhæc consuetudo agendi loquendique gratissimum etiam infimis hominibus efficiebat. Procul ab omni fastu, grauis incessu, aditu facilis, sermone tranquillo, & blando vtebatur. Eadem illi vestis cum instituti sui fratribus: etiam in ipso vultu, qui index animi est, manifestè sese virtutes explicabant. Qui cum salutis anno 1555. ipso die qui B. Virgini nascenti sacer est, feliciter decessisset, sepultus est incredibili luctu omnium Pauperum, quorum octo millia & quingenti, quasi alterum parentem lacrymis funus eius prosequebantur.

Collegia duo instituit, ac dotauit, vnum Compluti Fratribus Ordinis. Alterum Valentię Sacerdotibus.

Vitam eius sanctimoniæ plenam memoriæ, sed Hispano

Hiſpano Sermone mandauit Michael Salon Doctor Valentiæ Theologus eiuſdem Ordinis.

Epitaphium eiuſdem B. Thomæ.

CONDITVR HOC TVMVLO DO. FR. THOMAS A VILLA NOVA, ARCHIEPISCOPVS VALENTINVS, DIVINI VERBI PRÆDICATOR EXIMIVS, QVI CHRISTI PAVPERES BENIGNA QVIDEM MANV NON SOLVM VIVENS FOVIT, SED AD EXTREMVM VSQVE SPIRITVM AMPLISSIMIS ELEEMOSYNIS EST PROSECVTVS. OBIIT DIE NATIVIT. VIRG. MARIÆ ANNO 1555.

De Pauperibus mortem eius lugentibus.

Ibat vt ad ſuperos Thomas (mirabile dictu!)
Res eadem iuuit, diſtinuitque Virum.
Namque trahebatur ſurſum plus millibus octo,
Et tamen hunc eadem vis retinebat humi.
Mirabar tacitus, cum vox ita fertur ad aures:
Quam ſpectas, inopum eſt tam numeroſa cohors:
Hi plenum meritis tollunt, retrahuntque viciſſim,
Et mens in partes ſcinditur ipſa duas.
Propenſis animis gaudent ſuper aſtra leuari:
Attamen hunc terris non ſupereſſe dolent.

THOMAS VVINTERTON natione Anglus, patriâ Lincolnienſis S. T. D. ex illis Theologis Oxonienſibus, qui in Scholis Quæſtiones ſubtilius agitabant.

bant. Vir magna ſubtilitate ingenii, & Theologiæ ſcientia præditus, nulli per eam ætatem ceſſiſſe dicitur. Prouinciæ noſtræ Auguſtinianæ fuit in inſula præfectus: vixitque Ioannis VVicleffi ætate, cui à puero in omni ſtudiorum genere perquam familiaris fuit: verum cum animaduertiſſet VVicleffum peruerſa doctrinâ vniuerſalis Eccleſiæ ritus velle labefactare, eoque Hæreticum hominem procedere impudentiæ, vt & conuerſionem panis in Chriſti corpus inficiaretur, cenſuit poſthabita veteri amicitia, fortiſſimis rationibus ſtatim eſſe cum Sectario congrediendum. Arrepto igitur calamo contra Ioannem VVicleffum

Scripſit *ſuper Euchariſtia aſſertione* lib. I.
Contra Confeſſionem VVicleffi lib. I.
Diſputationes Theologicas lib. I.
Sermones per annum lib. I.

Ne nimium ringi pergas inſane VVicleffe
Quòd te nunc odio priſcus amicus habet.
Non tanti hoc Thomæ eſt, vni tibi velle placere,
Vt ſimul infeſtum Numen habere velit.

V.

VALERIVS BONONIENSIS Theol. & Concionator egregius multa quidem ſcripſit: Edidit autem *vnicam elegantem Epiſtolam ad Laurentium Capedium S. R. E. Presbyterum Cardinalem*, ſemel & iterum excuſam.

VALERIVS GENVENSIS Ligur, Philoſophiâ, & omni liberali diſciplina expolitus, ac præſertim medicinæ peritiſſimus, ætate iam deuexa, in religionis noſtræ verba iurauit, in quâ tantum eruditione valuit, vt non ſolis corporibus, verumetiam animis induſtriè

dustriè mederetur. Scripsisse eum perhibent, verùm à morte suppilata eius scripta fuisse.

Corpora qui primum solitus curare medendo,
Nunc animis etiam pharmaca sana fero.

VINCENTIVS MONTAIGNESIVS Valentinus omnibus humanis artibus, præcipuè Grammatica, Rhetoricâ, Dialecticâ, Musicâ quoque doctissimus, quas omnes fere Valentię ciuitate nobili, publico in Gymnasio est professus, elegantis ingenii reliquit ideam, vberrima *in Aristotelis Logicam Commentaria*. Decessit Barcinonæ an. 1573.

Dignus eras prima Vincenti fronte locari,
Sed te postremum littera prima facit.
Vis tamen hîc & honor; milesque triarius esse,
Et non exigua laude sedere potes.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX

SCRIPTORVM,

QVOS, DVM EXCVDERETVR HIC LIBER, CONSECVTI SVMVS.

ANgeli Rocchensis initio quidem libri mentionem fecimus: sed quia ipsummet Indicem librorum eius Româ accepimus, placuit ad verbum hîc eum proponere.

INDEX LIBRORVM

QVOS F. ANGELVS ROCCHA EPISCOPVS TAGASTÆ ET APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTVS

elucubrauit, & imprimendos curauit.

1. *Bibliotheca Vaticana, quæ omnes Bibliothecas insigniores tam antiquas, quàm recentes; Conciliorum item generalium præcipua, & potiora, linguarumque ferè omnium Alphabeta, & in*

in ea commentarios: cunctasque Sixti Quinti res gestas, dum varia in parietibus Bibliothecæ Vaticanæ per Pictores repræsentata declarantur; multoque tandem plura scitu digna comprehendit. Romæ An. Domini 1591.

2. Bibliotheca Theologica, & Scripturalis ordine Alphabetico digesta ad promptius inuenienda, & facilius intelligenda, quæ in Scripturam sacram à Doctoribus Sanctis, & à præcipuis aliquot Theologis elucubrata sunt, additis cuiuscumque Doctoris operum Censuris, Scripturarumque Regulis, adiectoque tandem Catalogo, qui alphabetico item ordine concinnatus, Scriptores omnes, qui in Biblia aliquid vnquam ediderant, comprehendit. Romæ Anno Domini 1594.

3 Commentarius de Sacrosancto Christi corpore, Summis Pontificibus iter conficientibus præferendo; antiquissimi Ritus causam, & originem, variasque Summorum Pontificum sacratissimam secum Hostiam in itinere deferentium, profectiones; Itinerarium etiam Societatis sanctissimi Sacramẽti, Clemente Octauo Pont. Maximo Ferrariam proficiscente, eiusdemque Pontificis solemnem in eam Ciuitatem ingressum, & ibidem res gestas, atque in Vrbem Romam reditum, nec non breuissimas Ciuitatum, & Oppidorum, per quæ transeundum erat, descriptiones complectens. Romæ Anno Domini 1599.

4 Com-

4 Commentarius de Canonizatione Sanctorum, hoc est, de Deffinitione, Auctoritate, & Antiquitate, deque causis, & ordine iudiciario Canonizandi Sanctos. De Miraculis item, ac de rebus, quæ veram declarant Sanctitatem, necnon de honoribus, qui Sanctis Canonizatis, & nondum Canonizatis debentur; Deque infallibili Catholicæ Ecclesiæ certitudine, ad Canonizationem pertinente, additis Cæremonijs in ea obseruari consuetis, ac declaratis; Sanctorumque omnium Canonizatorum, Catalogo accedente. Ad Frontem denique Commentarij extat Catalogus Auctorum ferè omnium, qui aliquid vmquam de Canonizatione scripserunt. Romæ An. Dom. 1601. Et 1610. Commentarius multis rebus auctus, & illustratus.

5 Scholia in S. Gregorij Magni, eiusque Parentum Imagines ære incisas, & à Ioanne Diacono diligentißimè descriptas; atque in eorumdem vestimenta, & calceamenta, præsertim verò in Sandalia sancti Gregorij, hoc est in Calceos Pontificios Cruce insignitos, ad Summi Pontificis pedes osculandos; necnon in Pallium Pontificium, ac denique in Tabulam quadratam ad occiput eiusdem Sancti effictam. Hæc autem omnia, à Ioanne Diacono ad amußim conscripta, Scholijs explicantur ad pleniorem intelligentiam rerum antiquarum, quæ ab eodem Ioanne describuntur. Scholia quoque in Sacramentorum Librum, necnon in Tabulas Donariarum, hoc

est, Prædia, vel Possessiones permultas, Oliuetis referatas, Beatissimis Apostolis Petro, & Paulo pro Lampadibus eorumdem Sanctorum accendendis ab eodem Gregorio dicatas; Commentario addito de Ferraria à Clemente Octauo Pontifice Maximo Apostolicæ Sedi recuperata, quam olim Comitissa Mathilda Basilicæ sancti Petri ex testamento pro Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli lampadibus accendendis donauit. Index denique in vitam eiusdem sancti à Ioanne Diacono conscriptam. Quæ sanè omnia vno libro in folio sunt impressa Romæ Anno Dom. 1595. Deinde Parisijs cum Operibus S. Gregorij An. Dom. 1605.

6 *Oraculum heroico versu Latino de auspicata salute, Vrbi Venetæ diuinitus reddita tempore pestis, aduentante aurea Rosa à Summis Pontificibus tempore quadragesimali solemniter benedici cõsueta, ad Venetos a Gregorio XIII. missa conscriptum Venetijs An. Dom. 1577.*

7 *Commentariolus de Nuce ad Innocentium IX. Stemma eiusdem Gentilitium mysticè repræsentante. Romæ An. Dom. 1591.*

8 *Expositio in Orationem Dominicam Italico & Latino sermone conscripta. Romæ Anno Domini 1594.*

9 *Altera item breuior, in qua multarum rerum Septenarij conceptus, iuxta septem Petitiones in*

in Oratione Dominica comprehensas, explicantur. Romæ An. Dom. 1594.

10. Commentarius de Tribulationibus Italica lingua, Le Visite del Signore, inscriptus, in quo diuersæ tribulationum causæ, necnon diuersi earundem effectus, immò contrarij, & admirandi pro tribulatis, & afflictis consolandis, vel deperditis erigendis. Romæ An. Dom. 1591.

11 Commentarius item de Patientia Italicè, ac Latinè conscriptus, in quo Patientia diuersis Hieroglyphicis repræsentatur, & Patientes ad veram Patientiam possidendam multis modis, multisque rationibus instruuntur, necnon bona enarrantur, quibus vera Patientia insigniti remunerantur. Romæ Anno Domini 1588. in quarto, & in duodecimo.

12 Commentarius Philosophicus, ac Theologicus de Cometis, Italica lingua conscriptus, in quo tres Cometarum species, Comata scilicet, vel Crinita, Caudata, & Barbata explicantur, multaque Naturæ arcana, necnon Portenta, & admiranda non pauca, immò & quædam miracula, quæ in mundo euenerunt, explicantur, ad differentiam eorum cognoscendam, quæ miracula verè non sunt, sed admiranda. Venetijs Anno Domini 1577.

13 Opusculum de Præsentationis Deiparæ Mariæ semper Virginis in Templo, Historia, & Fe-

stiuitate tam Sanctorum Patrum, quàm aliorum Scriptorum veterum, ac recentiorum monimentis comprobata; deque Indulgentijs, ac Decretis Romanorum Pontificum in eadem festiuitate celebranda concessis, ac præstitis; Necnon diuinum ac proprium Officium duplex in eiusdem Præsentationis festo die recitandum. Romæ An. Dom. 1597.

14 *Chronohistoria de Apostolico Sacrario Nomenclaturam, Institutionem, & Instructionem, Munia item & seriem Sacristarum in Augustiniana familia Tercentum & amplius ab hinc annis conseruatam, & numquam interruptam comprehendens Rom. An. Dom. 1605.*

15 *De Particula ex pretioso & viuifico Ligno sacratissimæ Crucis Saluatoris Iesu Christi desumpta, sacris Imaginibus, & Elogijs Græcis ac Ruthenicis eodem Ligno incisis mille ab hinc, & amplius annis insignita, & in Apostolico Sacrario asseruata Commentarius, in quo multa scitu digna explicantur, præsertim verò quanam ex Arbore fuerit sanctissimæ Crucis Lignum, opinionibus diuersis confutatis: Et Christi Domini Crucifixionem quatuor Clauis præstitam fuisse, rationibus, auctoritatibus, & Antiquorum factis omnino comprobatur. Romæ An. Dom. 1609.*

16 *Commentarius de Sacra Romani Pontificis Communione Missam solemniter celebrantis. Romæ Anno Domini 1610.*

Quæ-

Quæsita in Commentario explicata sunt hæc:

Cur sacrosanctæ Eucharistiæ, Corporis videlicet, ac Sanguinis Christi Domini perceptio, Communio nuncupetur.

Cur Summus Pontifex quando solemniter celebrat, ad Altare consecret, & ad Solium communicet.

Cur in solemni Communione summus Pontifex e sinistro Solij latere sacratissimæ Hostiæ allatæ sibi partem; pretiosissimi verò Sanguinis partem è latere dextro sibi porrecti assumat.

Cur sacrosanctæ Eucharistiæ medietas, hoc est, Christi Corporis, & Sanguinis pars à Summo Pontifice, altera verò eorumdem pars inter Diaconum Cardinalem, & Subdiaconum Apostolicum dispertita in solemni Communione ab ijsdem sumantur.

Cur summus denique Pontifex Calamum in sumendo Christi Sanguine adhibere soleat; Necnon Ministri, Cardinalis videlicet Diaconus, & Subdiaconus Apostolicus inter solemniter communicandum Calamo eodem vtantur.

17 Obseruationes Latina lingua conscriptæ in sex libros Elegantiarum Laurentij Vallæ, cum Apologia contra Laurentium Vallam, in defensionem

Boëthij de Personis Diuinis. Venetijs Anno Domini 1576.

18 *Obseruationes item Italicè ac Latinè conscriptæ de lingua Latina, in quibus habetur sermo de Imitatione, de conficiendis Epistolis, ac de locis Latinæ linguæ occultis. Venetijs Anno Domini 1576. in 8. Romæ Anno Domini 1589. in 12.*

19 *Bibliotheca Angelica omnium Artium, ac Scientiarum generibus refertissima, quæcumque sit illa typis mandata, Litteratorum, litterarumque amatorum commoditati dicata Romæ in Ædibus Augustinianis, ad Bibliothecas item construendas, & erigendas Idonea. Romæ Anno Domini 1608.*

Multa denique alia ab eodem Auctore triginta, & amplius ab hinc annis elucubrata fuerunt, ac typis mandata, dum plurima diuersorum Auctorum monimenta è tenebris ad lucem reuocauit, præsertim verò Librum secundum Sententiarum Ægidij Columnij Romani Archiepiscopi Bitunicensis, & S. R. E. Cardinalis, necnon Summam de Ecclesiastica Potestate ab Augustino Triumpho Anconitano iam ante Annos trecentos editam. Manuscriptos quoque Commentarios eiusdem Doctoris in Canti-

cum

cum Deiparæ Mariæ semper Virginis; In Orationem Dominicam; Et in Salutationem, atque Annuntiationem Angelicam: Vniuersa item opera sancti Bonauenturæ, in cuius Commentario ad Librum quartum Sententiarum explicatum fuit, quomodo omnia Sacramenta fuerunt à Christo Domino instituta: hoc autem præstitum fuit in defensionem, ac declarationem doctrinæ ipsius Doctoris hac in re conscripta. Quæ sanè omnia Summis, Citationibus locorum Scripturæ sacræ, Sanctorum Patrum, ac Doctorum, & Philosophorum, Scholijs etiam, Notationibus, Conclusionibus, Resolutionibus, Correctionibus, & Indicibus illustrauit, imprimendosque curauit.

Complura item alia olim elucubrata, & nonnulla quoque præsens in tempus elucubrantur, quæ Deo fauente, annuatim in lucem edentur.

IMPRIMENDA.

1 Commentarius de Campanis propediem imprimendus, in quo multa non minus admiratione, quàm lectu, ac scitu digna iuxta viginti, & vnum Quæsita explicantur.

2 Interpretatio obscurarum vocum, quæ apud Sanctum Gregorium Magnum, præsertim verò in Registro Epistolarum leguntur.

a Opu-

3 *Opusculum de mendacijs, ac deliramentis Poëtarum, & Philosophorum per Scripturam sacram patefactis.*

4 *De sacris aliquot Ritibus, ad superstitiones Ethnicorum extirpandas magna cum pietate institutis; Necnon variarum Lectionum Ecclesiasticarum Opusculum.*

5 *Speculum humanæ Vitæ Climactericum, Philosophicum, Historicum, ac Theologicum, in quo explicatur, quinam sint Anni Climacterici, & cur ita dicti; Quinam item in dictis Annis, & Natali suo die obierint, ex varijs Sepulcrorum Epitaphijs, Virorumque Vitis, & Historijs iuxta longam seculorum seriem collecti, Non sine consilijs tam ad Animæ, quam ad Corporis cautiones pertinentibus; Addita longitudine vitæ humanæ post Diluuium à Deo præscripta, breuitatisque Vitæ causis explicatis.*

6 *Commentarius de Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli prælatione, siue Imaginibus eorumdem, vtra scilicet inter eas collocandas, aut pingendas præferenda sit, cum in antiquissimis præsertim musiuis, & alijs in locis Imago sancti Pauli ad sancti Petri dextram collocata inueniatur.*

7 *Commentarius de Romani ac Summi Pontificis Nominibus, ac muneribus, necnon de Ministerijs, vel obsequijs eidem præstandis.*

8 *Commentarius de Summi ac Romani Pontificis*

ficis

ficis Potestate Spirituali, ac Temporali iuxta Conciliorum Generalium, necnon sanctorum Patrum, & Veterum, ac recentiorum Theologorum, Canonistarum, & Iuristarum doctrinas, ac sententias, atque item iuxta Historica exempla, præuijs Scripturæ sacræ locis; Donatione insuper Constantini Magni, tam Sanctorum Patrum, & insigniorum Doctorum, quàm infensissimorum Ecclesiæ sanctæ Hostium, ceterorumque Scriptorum monimentis vndequaque comprobata; Additis denique cunctis Ecclesiæ Patrimonijs, tam ad Orientalem, quàm Occidentalem plagam locatis.

9 *Opusculum de Confessione sacramentali, quã vocalem, vel auricularem appellant, non præstanda per litteras ad Confessarium absentem missas, nec per Internuntium Confessario item absenti delegatum, cum etiam Absolutio à Sacerdote absente dari non queat. Istuc ipsum concluditur de Ægroto, qui postquam pro facienda Confessione Confessarium accersiri mandauit, loquelam, vel sensus omnes, antequam Confessarius ad eum accederet, amisit, vel in phrenesim incidit, ita quòd neque signa, neque nutus, peccatum aliquod significantes, possit præbere.*

10 *Notæ siue Sholia in vtrumque Testamentum, ad ea comprobanda, quæ ex Concilij Tridentini Decreto in sacris Biblijs vulgatæ editionis corrigẽdis à sacris Congregationibus tam Linguarum varieta-*

rietate, ac manuscriptorum antiquitate, quàm au-ctoritate ac lectione sanctorum Patrum, atque rationibus ipsis præstita fuerunt.

BALTHASAR DE SALAS scripsit de Rosario Beatiss. Virginis.

CHRISTOPHORVS FONSECA, de quo supra, scripsit *Conciones in Dominicas & festas dies per annum.* Parisijs exstant versæ in Gallicum sermonem. anno 1610.

EMANVEL à CONCEPTIONE Lusitanus, Exprouincialis, ac Concionator Regius, edidit in lucem restitutos operâ suâ *Tres Tomos Concionum Didaci Payvæ* auunculi sui. Elucubratas ab se *Conciones de Passione Domini* propediem in lucem dabit.

ANTONIVS IANVENSIS scripsit librum quem prænotauit *Compendium figurarum moralium.* Interfuit Constantiensi Concilio Sigismundo Imp. 1418. ita Posseuinus.

ALPHONSVS HISPALENSIS EPISCOPVS 4. *libros sent. Petri Lombardi* exposuit.

ALVARVS MONIERVS LVSITANVS Vlisiponensis, cum Christianæ pietati & sacrarum litterarum studiis totum se addixisset, insignibus suæ sanctitatis indicijs ex hac vita decessit. Eius vita exstat sermone Hispanico scripta. hæc Posseuinus.

GEORGIVS MAIGRETIVS, de quo supra, S. T. D. Louaniensis, Monasterij Bullionæi primus alumnus, cuius laudibus, quia viuit, parco, librum composuit, quem inscripsit,

Lacryma,

Lacryma, seu gemitus Heracliti Christiani ab inferis diuinitus suscitati, & baptizati, vt omnes, & singulos homines doceat artem deflendi suam miseriam secundum vtrumque hominem. Vtilis erit hic liber in primis Concionatoribus, iuuabitque index qui in calce copiosus adijcitur. Hunc breui sequetur, lucemque aspiciet volumen grande

Theatra Tragicomica, & Anatomica Belgicarum miseriarum, quibus exponuntur ærumnæ præcipuæ, quas Prouinciæ Belgicæ bello ciuili passæ sunt, annorum quadraginta, vel circiter spatio.

HENRICVS AB VRIMARIA, de quo supra, scripsit *librum de nocturnis illusionibus.* Item *lib. de mortificatione propriæ voluntatis.*

IOANNES BAPTISTA à GLANO Leodius S. T. D. Parisiensis, secūdū Exprouincialis, de quo supra, vir sanè in paucis memorādus, in quo dubites, humilitatémne animi, an omnigenam doctrinam admirere, scripsit in *Pentateuchum Moysis*. Item in *Exod. & lib. Regum Comment.* quæ lucem, quam diu meruere, aspicient. Obiit Pater religiosissimus apud Eburones, in Monasterio Augustiniano, in quo est sepultus, magno suorum, & totius vrbis luctu. an. 1613.

IOANNES CARCASSONA, de quo ante diximus, scripsit *Epistolarum ad diuersos* lib. 1.

IOANNES SVAREZ, STEPHANVS SALAZAR, DIDACVS TAPIA, LVDOVICVS AZENEDO natione Hispani, patriâ Salmanticenses, quædam scripsisse dicuntur, quæ nondum sum consecutus.

IORDANVS QVADELINBVRGENSIS ANGLVS S. T. D. scripsit. *Postillas in Euangelia totius anni.*

MELO, qui MAGISTER MELO nominatur, scripsisse fertur *in D. Matthæum.* Posseuin.

ARNOL-

ARNOLDVS DE BVSCO scripsit *de Viris illustribus Ordinis sui & monasterij VVindesthimēsis*, *Epistolam quoq; prolixā de modo proficiendi in Religione*, *ac de origine deuotionis Moderna, & reformatione ordinis sui librum*. Vixit an. 1470. Frederico III. Imp.

LVDOVICVS LEGIONENSIS, de quo supra dictum est, *Vitam B. Teresa in vnum congessit*.

NICOLAVS TINCHESPVEL Ord. D. Augustini, tractatum reliquit *de decem praeceptis*. Alterum *de poenitentiâ*. *Sermones de Timore*, *ac de sanctissima Eucharistiâ*. *Commentarium in quartum Sentent*. Quæ in Biblioth. Patauinâ Eremitanorum sunt M. S. *Ex Posseuino*.

PETRVS VALDERAMA, de quo supra, elegantissimum Hispanico Sermone opus composuit, quod *Theatrum Religionum* appellauit.

SILVESTER è BALNEOREGIO, scripsit *de potentia generandi in diuinis*. *De subiecto Theologiæ*. *de nobilitate intellectus & voluntatis*. Item *quæstiones Theologicas*, quas apud Eremitanos Patauii se vidisse refert Posseuinus.

NOMINA

NOMINA PROVINCIARVM in quibus est Ordo Augustinianus.

QVando prolixum, & longum nimis est, Monasteriorum omnium quæ sunt in orbe toto nomina recensere (sunt enim, vt hinc pæne lector intelligat, in sola Italia Monasteria Augustiniana numero quingéta & quadraginta) placuit ipsas dumtaxat Prouincias, quasi genera pro formis, enumerare: sunt autem hæ,

Prouincia S. Augustini, aliàs Lombardiæ.
Prouincia S. Monicæ, alias Romana.
Prouincia S. Nicolai Tolentinatis, aliàs Marchiæ Anconitanæ.
Prouincia Franciæ.
Prouincia Castellæ & Beticæ, aliàs Hispaniæ.
Prouincia Coronæ Aragonię, aliàs Aragoniæ & Cathaloniæ.
Prouincia Portugalliæ, siue Lusitanię, cum vicariatu Indiæ Orientalis.
Prouincia Marchiæ Taruisinæ, alias Venetiarum.
Prouincia Tolosæ & Aquitaniæ.
Prouincia Coloniæ.
Prouincia Romandiolæ.
Prouincia Vmbriæ.
Prouincia Prouinciæ.
Prouincia Bauariæ.
Prouincia Terræ laboris, siue Neapolitana.
Prouincia Narbonæ & Burgundiæ.
Prouincia Siciliæ.
Prouincia Pisana.
Prouincia Senarum.

Prouincia Terræ ſanctæ.
Prouincia Apuliæ.
Prouincia Aprutij.
Prouincia Calabriæ.
Prouincia Poloniæ.
Prouincia Rheni & Sueuiæ.
Prouincia Vngariæ.
Prouincia Angliæ.
Prouincia Hyberniæ.
Prouincia Saxoniæ & Thuringiæ.
Prouincia Sardiniæ.
Prouincia Mexicana, aliàs nouæ Hiſpaniæ ſiue nominis Ieſu.
Prouincia del Peru.
Prouincia Inſularum Philippinarum.
Congregatio Lombardiæ.
Congregatio Illicetana ſiue ſancti Saluatoris.
Congregatio S. Ioannis Carbonara.
Congregatio Peruſina, aliàs ſãctæ Mariæ de populo.
Congregatio Ianuenſis, aliàs Baptiſtinorum.
Congregatio Montis Orthoni.
Congregatio Apuliæ ſiue Dulceti.
Congregatio Calabriæ ſiue Zampanorum.
Congregatio Dalmatiæ.

Conuentus Generalis immediatè Patri Reuerendiſſ. Generali ſubiecti.

Conuentus S. Auguſtini Papienſis.
S. Auguſtini Romanus.
S. Auguſtini Neapolitanus.
S. Iacobi Bononienſis.
S. Marci Mediolanenſis.

Tre-

Eremitarum Patauinus.
S.Stephani Venetus.
S.Spiritus Florentinus.
S.Augustini Florentinus.
S.Augustini Perusinus.
S.Augustini Senensis.
S.Augustini Genuensis.
S.Nicolai Pisanus.
S.Augustini Anconitatus.
S.Ioannis Euangelistæ Ariminensis.
S.Augustini Pisaurensis.
S.Margaritæ Taruisinus.
S.Euphemiæ Veronensis.
S.Augustini Panormitanus.
S.Augustini Messinensis.
S.Augustini Parisiensis.
S.Augustini Viennensis.
S.Augustini Tolosanus.
S.Augustini Montispesulanus.

CATALOGVS SCRIPTORVM.

Chri-

D.

E.

F.

G.

Guili-

M

Paulus

Rode-

Thomas

APPROBATIO.

HÆc Anastasis Augustiniana continens nomina & scripta Auctorum Ordinum Erem. D. Augustini Auctore R. Patr. Thoma Gratiano eiusdem Ord. Prouinciali, nihil habet quod nostram religionem Catholicam offendat. Poterit igitur in publicum prodire, vt optimi obliterati auctores in hominum cognitionem redeant. Quod testor 16. Febr. an. 1613.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonic.
Plebanus Antuerpiensis.

